

Iohan: s.

Apostoli.

Ab

gloriam, aucuparetur, ut potius occultari illa  
 voluerit, sæpius sanitati restitutis præcipiens  
 ne cui dicerent. Adeoque tota Christi vita,  
 doctrina, institutio, conceptio, natiuitas, pa-  
 rentes, præsepium, conuersatio cum pauperi-  
 bus, vilissimæ artis exercitatio, honorum ob-  
 latorum reiectio, mors denique ipsa, crux &  
 ignominia, in summa ipsius Majestate, sum-  
 mam coarguunt animi submissionem. Et in  
 Iudæos graviter invehitur *quod gloriam ab in-  
 vicem acciperent, & gloriam quæ à solo Deo  
 proficiscitur non quærerent, qua in re cau-  
 sam incredulitatis eorum fuisse asserit.* Hanc  
 Petrus, Iohannes & cæteri Apostoli in sum-  
 mo Doctore modestiam imitati, quoties  
 claudos erigebant, mortuos in vitam revoca-  
 bant, & alia stupenda miracula edebant, toti-  
 es clara voce professi sunt, se ea edere in nomi-  
 ne Domini Iesu Christi filij Dei, cui soli, non  
 suæ virtuti, acceptum referebant, si quid benè  
 & laudabiliter fecissent: & in occulto magis,  
 quam apertè operati sunt, prorsus ab omni  
 inani laude alieni. Ita D. Paulus, etiamsi plus  
 reliquis laborasset, *omnium tamen se mini-  
 mum*

mum appellavit. Et ad Theſſalonicenſes De-  
um teſtem invocat, quod in omnibus laboribus  
ſuis non quaſiſſet gloriam ab hominibus, neq;  
à Theſſalonicenſibus, neq; ab alijs, cum tamen  
potuiſſet non in minori autoritate eſſe, quàm  
reliqui Chriſti Apoſtoli.

D. BARTHOLOMEVS quamvis Regio ſtem-  
mate oriundus. piſcatoribus tamen ſe adjun-  
xit, tantò major in regno cœlorum, quantò  
in terris abjectior. Neque Divi Bernhardi  
hîc omittenda mentio videtur, qui in tantis  
donis ſummos oblatos honores, ſumma cum  
modeltia declinavit ſemper, cumq; ab omni-  
bus ſummus reputaretur, ipſe tamen ſe o-  
mnium infimum eſſe judicavit, ut teſtatur  
autor vitæ ejus in fine primi libri.

Cumque GREGORIUS Pontifex Roma-  
nus aliquando à quodam impenſius laudare-  
tur: *Precaſe, inquit, hoſpes Deum, ut ſiam  
aliquando ijs dignus, qua mihi tribuis, ac tu  
non indignus, ut opinio iſta improbari non  
poſſit.* Idem & de Xenocrate Ethnico dici-  
tur, cui cum quidam adulandi cauſâ comme-  
moraret, quod ipſius laudes ubique magni-

Aa ficè

AB

Bartbo-  
lomew.

Divus  
Bern-  
hardus.

Grego-  
rius.

Xeno-  
crates.

Caput Quintum

ficè prædicaret, respondit. *Ego pro isto officio bonam repono gratiam, efficiens, ut vera prædices.* Plus enim ijs, qui virtuti dant operam, gratiæ debetur, quàm earum proclamatoribus.

**AB**  
Socra-  
tes.

Quem in catalogum meritò & SOCRATEM nostrum referimus, qui quamvis virtutem in omni vita coleret, inanes tamen de se vulgi rumusculos ita fugit, ut Gloriæ contemptor summus sit habitus, & quotidianis congressibus omnium se humillimū præstiterit, quem admodum Dialogi Platonis testantur: Et tamen omnium gloriosissimus evasit, retinente erga eum proprio gloriâ ingenio, *qua fugientem sequitur, sequentem fugit.*

**Fabius**  
**Max:**  
Sabel: lib.  
10, cap: 1.

Sed multò magis Fabium Maximum quàm Philosophos miramur, hominem politicum in summo rerum humanarum fastigio collocatum, qui Imperator Romanus, ne cunctatoris quidem appellationem horruit, modò cunctatio illa patriæ profutura esset. *Non igitur prætulisse se ait rumores hominum publicæ utilitati, & maluisse Ducem utilem esse, quàm vana & stulta prædicatione nobilitari.*

Etto-

Et tolerari quidem aliquo modo hic hominum, virtutis fūco, laudem quærentium, vel error vel vanitas posset: nisi in eum furor morbus iste, & vana gloriæ cupido eos adigeret, vt in verso plane rerum ordine, ex ijs rebus undè vel maximè tetram infamiæ notam homines contrahunt, ex ipsis inquam turpissimis vitijs & execrandis flagitijs laudem & gloriam captare niterentur.

In dubium vocabit quisquam quod dicimus? An non videmus hodie totum ferè mundum vitia pro virtutibus venditare? Multi fastu & inhumana torvitate, quum nec faciles visu nec affabiles dictu sint, ac tauricum & torvum tueantur; autoritatem & splendorem sibi parare nituntur. Multi suis artibus, technis, impostura & fraudibus, ingenij & industriæ laudem quærun. Plerique divites, cum avaritiâ, usurâ, & dolo, pauperumque expilationibus, mediocres opes congegesserunt, putant se dignos esse, ut gloriâ sint illustres, honore conspicui. Hi necessariò viri sunt sapientes, docti, facundi, multa rerum experientia præditi, & nullis non dignitatibus præficiendi.

Caput Quintum

AB

Curia pauperibus clausa est, dat census honores  
Inde gravis Iudex, inde severus eques.

Quanta hodie Gloria est, quanta virtus, facile reliquos bibendo vincere & plenis Cyathis exhauriendis victoriam atque palmam obtinere? Hic qui excellit, ad quavis obeunda idoneus esse ducitur, huic honores deferuntur summi. Invenies & alios, qui usque adeo omnem exuere pudorem, ut de malitia etiam sua, de flagitijs, de libidinibus, helluationibus, scortationibus, imposturis & alijs sceleribus impune atque adeo lepidè ausint gloriari. At divina ultio has hominum larvas jam dudum averfata est. *Quid gloriaris,*

AB

Pfal: 52. 92.

*inquit, in malicia tua, qui potens es in iniquitate? tota die Injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum, iniquitatem magis quam loqui equitatem. Dilexisti omnia verba perditionis: lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in aeternum, conteret te, & evellat te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viventium.*

3.

Et quomodo nobis aliquam arrogare laudē, ex illis rebus audemus quę nec nostra sunt, sed  
aliena

aliena, neq; ex nobis ipsis originem ducunt, sed extrinsecus accedunt. Nam si quæ bona possidemus, ob quæ viri boni dici meremur: si quæ doctrina: eruditos nos facit, si quæ nobilitas nos ex sece vulgi vindicatos ad aliquod dignitatis fastigium evexit: si quæ sapientia denique, si quæ virtus, aut industria, claros nos & conspicuos reddidit: Hæc bona omnia, neque à nobis profecta neque nobiscum nata, sed cælitus concessa nobis esse præter omne nostrum meritum fateamur, necesse est.

1. Cor: 4.

Quæ igitur stultitia, tribuere nobis, quod solius sit Dei, & laudem quærere in illis, quæ non à nobis ipsis, sed à divino numine habemus, ex quo vel solo omnes vitæ humanæ successus, & quicquid in terris Boni nomen obtinere potest, velut ex uberrimo limpidissimoque fonte dimanat; cui soli omnia sunt accepta referenda.

Accidit præterea sæpenumero, ut qui immodico laudis & Gloriæ studio flagrant, dum res ab se gestas nimium extollunt & immodicè celebrant, planè ridiculi fiant & inepti, & quibus rebus gloriam & nominis splendorem

Cicero.

In vita Ci.  
cero.

5.

dorem affectabant , ex illis ipsis maximam  
 invidiam atque ignominiam lucrentur. Cu-  
 jus rei vel solus Cicero nobis exemplo esse  
 posset, qui quantam φιλοτιμία suâ sibi invi-  
 diam attraxerit, & quantum lucis & splendo-  
 ris nomini suo, alioquin splendidissimis vir-  
 tutum ornamentis decorato, detraxerit, testa-  
 tur Plutarchus: Nam cum post oppressum  
 Catilinam maxima ejus esset in civitate au-  
 ditoritas: ipse eam creberrima, & assidua  
 prædicatione insigniter minuisse, ei que non  
 minutulam labem, sed planè ineluibilem af-  
 persisse: Cum ubique sive in senatu, sive in  
 concionibus, sive in judicijs, in ore haberet  
 nihil nisi Catilinam & Lentulum, cum que li-  
 bros suos & scripta laudibus compleret suis,  
*jucundissimam suam & venustissimam dicti-*  
*onem, odiosam & ingratoram auditoribus red-*  
*didisse.* Testatur etiam Epistola ad L. Luce-  
 jum, testatur oratio pro Archia, & alia ejus  
 scripta, quantopere gloriæ fuerit cupidus,  
 quid quod multa ejus præclara consilia fre-  
 quenter impedivisse, historia ipsius ostendit.  
 Et quæ vnquam vera Beatitudo verumq;  
 Gaudi-

de Gloria & Honore.

Gaudium ex dignitatibus provenire potest?

Cum ipsæ dignitates ex se & suâ naturâ beatitudinis, gloriæ & lætitiæ sint planè expertes, nec ex se aliquid gloriæ aut honoris pariant, nisi aliundè proveniat, si quid veræ gloriæ dignitatibus adhæret. Cum enim dignitates bonis pariter & malis conferantur: si bonis obtingunt, nihilo meliores eos efficiunt, tantummodo quas in bonis virtutes intùs latentes invenerunt, sub lucem & in conspectum hominum producunt. Itaqué tantum abest, ut bonos meliores reddant, ut vice versa, dignitates omnem laudem & splendorem à bonis, quibus collatæ sunt, mutuentur, nec bonos ornent, sed ab his ornentur. Id quod suo exemplo aliquândo Agesilaus docuit, cum minus convenienti loco collocatus esset: *Bene habet, inquit, Ostendam enim, non locum viris, sed virum loco conciliare dignitatem.*

Quòd si improbis conferantur dignitates, non modò non bonos efficiunt, sed multò magis innata eorum vitia & indolem tyrannicam & crudelem detegunt, produnt, & oculis omnium subijciunt, *Ita ut loco Ignominia*

Agesilaus  
Idem aristippo  
scripsit.

nia apud indignos sit dignitas. Et omne ani-  
mi vitium tantò conspectius in se crimen ha-  
bet, quantò major, qui peccat, habetur. Quin-  
imò ostendunt, honores nullum pestilentius  
in genere humano animal esse improbo in  
amplissimo dignitatis gradu constituto, vt  
exempla Neronis, Caligulæ, Heliogabali, Sar-  
danapali & aliorum testantur, qui dum sum-  
mis perfunderentur honoribus, quidvis pro-  
hibitu egerunt, nullumque tam atrox fuit cri-  
men aut crudele flagitium, quod perpetrari  
ausi non fuerint.

6.

Cumque qui falsò mirificis extolluntur  
laudibus, suis ipsi laudibus necesse sit erubef-  
cere: & dignos gloriâ & reverentiâ iudicare  
non possimus, quos ipsis honoribus iudica-  
mus indignos: satis tum ex hoc, tum ex supe-  
rioribus constare existimamus, vanum esse  
eorum omnium studium, qui Gloriæ æstu  
perciti, ingentem nomini splendorem & au-  
toritatem fucata virtutis specie quærunt, &  
proinde vanam esse hanc Gloriam, vanam &  
illam Beatitudinem, falsumque gaudium, quod  
hoc modo acquiritur.

Glori

II.

*Gloriam & Honores perfectam beatitudinem, solidumq; gaudium non efficere.*

**A**T si conatâ fuerimus verâ minimeque simulatâ virtute & industriâ, magnam nomini nostro lucem & splendorem acquirere; non tamen iccirco beatiores erimus, aut perfecto & solido Gaudio perfruemur. Arduum enim ut est, laboriosum & periculis plenum ad virtutem iter; lubricum quoque & difficile, ac inter duo extrema ita porrectum, ut in utramque partem perfacilis sit exorbitantium lapsus: denique angusta atque compressa, spinis & sentibus obsita Gloriæ semita mortalibus obtenditur; adeoque planè *in via ad virtutem via*: Ita non nisi summo labore, infinitis molestiis, & maximis periculis vera Gloria comparatur. Nihil igitur ad beatè & suaviter vivendum facere potest, imò anxiam & periculis plenâ hominis vitam veræ acquisitionis Gloriæ reddit. Res profectò immensa est, ad quam contendunt mortales, dum celebritatem famæ consequi, & per-

Bb

petu-

1.  
*Gloria  
Laboriosa ac-  
quisitio  
est.*

Caput Quintum

petuum nomini suo Gloriæ monumentum collocare laborant. Id quod vel unico Ciceronis exemplo luce clarius patet. Quos ille non sustinuit labores? quas non pertulit molestias unius gloriæ consequendæ studio? sed tantum absuit quo voti sui compos factus fuerit, ut tandem exclamare coactus sit: *O me nunquam sapientem!* Cum aliquando claros aliquot, & nobili familiâ adulescentes Romę accusatos, quod contra disciplinam militarem, in faciendis stipendijs aliquid perpetrassent, inque Siciliam ad se prætorem missos, egregiè defendisset: putavit se propterea in magna esse apud omnes admiratione, nominisque sui gloria & splendore totam jam se implevisse civitatem. Romam igitur contendens, in via incidit in quendam familiarem; hunc percontactus, qui sermo esset inter cives de suis rebus gestis, & quid sentirent? & illo respondente: *Tu vero Cicero ubi hoc spatium fuisti: animo planè concidit, multumque de ambitione remisit: quod vidit, mentionem sui in urbem, tanquam in vastum incidentem pelagus, nihil se ad gloriam reddidisse*

diffe conspectiorem. Et Boëtium Philosophia hac ipsa consolatur ratione, quod Cicero alicubi scriptum reliquerit: *sua etate famam Imperij Romani nondum Caucasum montem transcendisse. An igitur putet, ubi Romani fama Imperij transire non potuerit, Romani hominis gloriam progredi posse. Cumq; totius terreni globi ambitus ad uniuersum vix puncti obtineat rationem, ex quo vix quarta pars ex vasto pelago emergat, & huius rursus tot partes aquis & paludibus premantur, syluis densissimis & vastitate immensis operiantur, siti arenosa & spatiosa regiones distendantur: reliquum ab hominibus habitabile vix puncti punctum dici posse. At in hac tam exigua area, tam angustis arctata limitibus, de divulganda fama & proferendo nomine magnopere laborare, vanum esse nihilq; magnificum, etiamsi quis suorum fama meritorum toti inclarauerit orbi.*

Tentavit id ipsum nihil ominus O SYRI-  
DES Aegyptiorum Rex, qui ingenti conscri-  
pto exercitu, relicta vxore cum Mercurio  
consiliario, & Hercule militiæ præfecto, re-

O SYRI-  
DES.

## Caput Quintum

busque cæteris benè domi constitutis, totum peragravit orbem terrarum, ut vini plantationem, segetis usum, pecorumque fructum hominibus monstrando, & vitam eorum mitissimis his rationibus excolendo; immortalem nominis gloriam ab universo orbe reportaret: quod etiamsi obtinuisset, nihil tamen magnifici præter ingentes labores; servitutum pro libertate, odium pro gratia, & immensa pericula reportasse; probat ibidem Philosophia.

Et experientia testatur verissimum esse, quod de Demosthene, deque Themistocle, Aelianus & Plutarchus annotârunt: Quod propositis duabus vijs, quarum vna ad dignitates & tribunal duceret, altera ad mortem, potius elegerint, illam quæ ad ipsam duceret mortem; quam quæ ad dignitates & honores. Hi namque summi Reipublicæ Rectores propriâ experentiâ edocti, noverunt quanta curarum, laborum, & molestiarum mole, ac negotiorum concursu obruantur hi, qui ad honores & Rerumpub. gubernacula vocantur: quanto in periculo versentur, quan-  
ta pru-

ta prudentiâ & circumspectione negotia omnia expedire, & quantâ cura atque sollicitudine in omnes gerendi rei partes intentos esse eos oporteat; ut discrimina omnia vitare, & se dignos Magistratu præstare possint. Et quæ merces, quod præmium referunt tantorum in Rempub: laborum? nihil inde lucrantur aliud; quam quod amissa omni libertate omnium servi facti sint: & dum se omnibus impendunt, & de singulis benè mereri cupiunt; omnium telis, & improborum obtreçantium calumnijs atque dicterijs exponuntur: dumque optimorum in rempub: famâ meritorum conspicui esse cupiunt, ac saluti Reipublicæ prospiciunt; sibi, vitæ suæ, ocio & quieti, pessimè consulunt. Denique dum infinita hominum, fores ipsorum obsidentium, turba, multiplicibus negotijs suis eos tota die macerat, & variè cogitationes eorum distrahit; tot curis, molestijs & laboribus conficiuntur, quot membra continet aurea quâ fulgent quæve cinguntur cathena, aut quot pilis toga martibus seu mustelis Scythicis subducta nitet. Et

SIMILIS.

quamvis in magna luce atq; splendore vivat, vix tamen vixisse videntur. Quemadmodum SIMILIS quidam, qui depositam præfecturam Palatinam sub Adriano Cæsare, quæ dignitas Augustorum magnitudini proxima fuit, cum per septennium in agro privatus vixisset, morti vicinus tumulo suo inscripsit: *Hic Similis jacet, cujus ætas multorum fuit annorum, ex quibus tantum septem vixit.*

ARTAR-  
XERXES.

Tanta tamen est hominum laudis avidissimorum vanitas, tanta tamque immodica Gloriæ sitis, ut hujus quæstu atque compendio, non modò extremis sese fortunarum omnium exponere periculis, sed & vitæ ipsius, præsentissimum discrimen adire non dubitent. Quemadmodum, ut ex pluribus unicum hoc adducam exemplum, de ARTARXERXE Persarum Rege & Ducibus ejus Plutarchus commemorat: quanta inter se contentione de gloria interfecti Cyri, singulis id sibi imputantibus, dimicaverint, Rex auro & muneribus Duces expugnare nititur, sibi ut eam Gloriam tribuerent. Duces non modò aurum, & Regia mune-

munera contemnere, sed & vitam, & omnia tormenta, hujus permutatione Glorix, parum curare se, non obscure ostenderunt. Cumque palam jactarent Cares & Michridates non à Rege, sed à se Cyrum interfectum fuisse, multis affecti tormentis miserè perierunt. Indis, Thracibus & Getis mos est, vt viro dilectissima conjux, quarum plures simul ducunt, vnà cum viro mortuo vel cremetur vel humetur: tanta igitur Glorix cupiditate hæ mulieres flagrant, ut maxima disceptatione inter se contendant, quæ inter eos charissima viro fuerit, pulcrum sibi esse ducentes, si, quæ dilectissima viro iudicata fuerit, vnà cum viro occumbat. Hæc igitur maximo cultu ornata, à propinquis ad tumulum ducta jugulatur, atque vnà cum viro vel crematur vel sepelitur; cæteris vxoribus hanc repulsam ægré ferentibus, eamque pro summo dedecore & maxima calamitate ducentibus.

Vt igitur ardua est, & plena periculis gloriæ acquisitio, & penè in via ad virtutem via: ita ejusdem non minus difficilis, quam laboriosa

Hier: in principio  
lib: 5.  
Cice: lib: 1  
Tuscul:  
Val: Max:  
lib. 2.

2.  
Possessio  
plena

difficul-  
tatis.

Cicero.

Gene: 37.  
1. Reg: 13.  
Iosep: lib:  
8. cap: mi-  
hi 3. Anti-  
quitat:

riosa possessio. Cum enim nemo tam vilis  
atque abjectæ sit conditionis, qui vel mini-  
mam famæ & honoris sui diminutionem  
æquo animo ferat: fit ut ingenti curâ & sol-  
licitudine conservandæ Gloriæ, & honoris,  
animi hominum teneantur. Hinc fratres  
etiam charissimi mutuis exardescunt odijs:  
hinc amicitia solvuntur etiam intimæ. Hinc  
tot certamina, cædes, bella, seditiones; *nec  
ulla pestis major esse potest, quam in quibus-  
dam honoris certamen & Gloriæ, ex quo ini-  
micitia maxima sæpè inter amicissimos exti-  
terunt.*

Quæ alia causa hostilis animi fuit in filijs  
Jacob erga Iosephum, quàm quòd plus ipsis  
à patre amari deprehenderetur. Quæ res a-  
lia Bethæleum movit senem, Prophetam  
menticum, quod tanto astu atque mendatijs  
circumveniret verum vatem ab ipso Iova  
missum Iadonem, uti à Iosepho nominatur,  
cumque mendatijs impulit suis, ut Domino  
inobediens factus, à Leone discerperetur;  
quàm cæca & detestabilis ambitio, quod ve-  
rebatur, ne in majore gratia apud Regem fu-  
turus

urus esset Iadon: post cuius fata Regem Pseudopropheta adortus, vati interitum commemorat, ejusque vaticinium elevat, & regem in Idololatria sua confirmat. Hic enim ferè mos est in aulis, vt, si quem aulici cernunt in gratia esse apud Dominum, ejus autoritatem omnibus modis elevare conentur, eumque mille artibus circumventum, mendacijs obruant, dicerijs deforment, & calumnijs involuant. Hanc campi notam experti sunt omnes, quotquot unquam vates aut pij homines in aulis Regum aut principum versati sunt. Hæc fors erat Eliæ, Ieremiæ, Danielis, trium virorum. Hoc fatum fuit Dionis & Platonis in aula Dionisij Syracusani, Bellisarij in aula Iustiniani & aliorum.

Expertus est hoc ipsum aliquando HENRICVS cognomento Ferreus comes Holsatiæ in aula Eduardi 3. R. Angliæ: cui cum ob reliqvas virtutes egregias, tum ob fortitudinem in primis erat gratus. Vrebat id Anglorum Proceres, & consilium ejus perdendi capiunt, absenteque rege, Reginae suggerunt: Saxonem hunc Teuthonicum quem Rex

Cc

mul-

Henri-  
cus Fer-  
reus.

NB

21111111  
10111111  
11111111

multis nobiles Anglis prætulit, verè nobilem non esse, cuius rei periculum, vel in Leone fieri posse, quem naturâ ajunt internoscere nobilem sanguinem ab ignobili: Regina ergo permissu Leo noctu laxatur, ut Henricum antelucano tempore auras captare, & intra arcem obambulando scrutari portarum claustra solitum, aggrediatur. Henricus de more seminudus Baltheum cum gladio manu gestans prodit ex cubili, & in gradibus leonem rugientem & ferocem obviam habet: cui interritus, *Quiesce*, inquit, *quiesce canis ferox*. Ad quam vocem Leo ad pedes ejus prosternitur, quem manu apprehensum, duxit in caveam. Ferunt eundem aliquando stantem ad cancellos Leonis, Anglis, qui vnâ astiterant, dixisse: si quis inter vos est nobilis, imitetur factum meum. Moxque ingressus ferocienti Leoni crinale capiti suo detractum imposuit; stupuit Leo. Tum ad Anglos conversus: si quis, inquit, confidit stemmati suo, referat crinale quod intuli: illi rubore perfusi, abierunt.

Ad eundem planè modum multi ut soli sint

sint in gratia, reliquos, quos vident in pretio esse, extremè persequuntur. Nec aliam habuit causam IOAB, cum Abner Ducem multò se meliorem nefario scelere confoderet. Eadem de causa ISMAEL pijsimum Ducem Godoliam, à Rege Nabuchdonosore Iudæis præfectum, simulatâ amicitia ad convivium vocatum, nefariè trucidavit: ussit scelestissimum profligatæque malitiæ hominem, Godoliam sibi regio stemmate nato, prælatum.

Quanta ira exarsit HAMAN erga Mardocheum, quem propterea laqueo perdere voluit, quòd sibi assurgendi & adorandi honorem, ex patrio instituto, negaret? quem tamen omnes, tum Persæ, tum exteri, ad mandatum Regis, ei exhibuerant: Iosæphus, qui prolixè hanc historiam commemorat, addit, non contentum fuisse vnus Mardochei supplicio, nisi totam simul gentem Iudaicam internecone deleret: Tam vehemens est hic retinendi honoris affectus: Id quod in Iulio Cæsare apparuit, qui tanta indignatione tulit, quòd sibi triumphanti & subsellia tribunitia prætervehenti, Pontius Aquila non

IOAB.  
2. Reg. 1.

ISMAEL.  
Iosæp: lib:  
10. cap: 11.

HAMAN.

Lib: 11.  
cap: 9.

assurrexerat, ut aperte clamârit. Repete ergo à me Aquila rempub: Tribunus: Et nec destiterit, inquit Suetonius, per continuos dies quicquam cuiquam polliceri, nisi sub exceptione. Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.

3.  
Amis-  
siople-  
na do-  
loris.

Sed multò vehementior est ejusdem amittendi affectus plenus omnis generis doloris & tristitiæ. Quotus enim quisque est, qui æquo animo vel minimam famæ, honoris aut Gloriæ suæ diminutionem patiatur. Non omnes eo sunt ingenio, ut facile imitentur Davidem regium vatem Semei incontinentiam & atrocia convitia ingenti animo tolerantem: aut Socratem, aut Platonem, aut Aristidem, aut Dionem & dicitur aut in se conjecta scommata facientes: aut Alexand: M. qui regium esse dixit benefacere Et male audire: Aut Alphonsum Neapolitanum, qui etiam beneficijs affecit convitiatores: aut Scipionem, qui oblatos insuper honores respuit, Et penè tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum egerat in emerendis: aut quod maximum est continentix exemplum,

Val: Max:  
lib: 4, ca: 1.

emplum, ipsius Filij Dei, qui nusquam miraculorum suorum famam voluit evulgari, nec passus est se Regem creari, ab omni prorsus æmulationis & affectatæ gloriæ affectu alienus.

At miseri mortales impotenti prorsus animo potius vitam ipsam profundere cupiunt, quam vel minimam famæ aut Gloriæ jacturam admittere: Vili injuriâ læsi immensum dolorem capiunt, & ingentem iram concipiunt, quæ ipsos, quæ alios, quæ patriam & penates in tragicas conijcit calamitates, Nonne sacræ literæ testantur, quanta ira sanctissimus vates IONAS exarserit adversus ipsum Iehovam, malueritque totam Ninives Civitatem funditus interire, quam falsus vates perhiberi? Et de M. CORIOLANO Livius scriptum reliquit in quas calamitates & angustias propriam patriam conjecerit ob illam, quam à populo tulit, injuriam. Cumque Dionysius Syracusanus ex poësi laudem captare solitus esset, & accepisset poëmata sua in certamine Olympiaco decantata, ludibrio habita fuisse, in summam tristitiam mentisque

IONAS.

M. CORIOLANVS.

Dionysius.

Lycam-  
tes.

Camby-  
ses.

Lib: 9.  
cap: 7.

2. Para: 25.

NB

que ab alienationem præ dolore incidit. Quæ admodum de Lycambe Pario historiæ testantur, quòd cum ab Archilochò poëta, ob denegatas filix nuptias, Iambico carmine læcessitus esset, contemptus impatiens, suspendio unà cum filiabus se sustulerit.

Ita Cambyses Rex Aegypti, ut solus fortissimus haberetur, fratrem Smerdem, qui Aethyopicum arcum ipso Rege ejusque comitibus ad duos digitos validius attraxerat, sola roboris æmulatione interfici jussit: *Ademit,* inquit Sabellicus, *ea vis vitam fratri, Cambysi regnum, Et vitam regno chariorem.* Hæc vis Ajacem ad Insaniam redegit, utque sibi ipsi cruentas inferret manus, postquam viderat sibi Vlyssæ præferri, compulit. Quot bella funesta & cruenta extiterunt ex hac æmulatione? Belli inter Boas & Amasiam, Lacedæmonios & Athenienses, Syllam & Marium, Iulium & Pompejum, (in quo postremo plus vndecies centena millia hominum periëre: ita ut aliquando bos arator ad rusticum conversus humana voce hæc verba protulerit: *Frustra me stipulis agis: Prius enim*

enim paulò post homines quàm frumenta sunt  
desitura) nulla alia fuit causa, quàm regum  
& imperatorum æmulatio, dum hic parem,  
ille superiorem ferre non potuerit.

Cum itaque tam laboriosa & penè impos-  
sibilis sit veræ Gloriæ acquisitio, ejusdemque  
tam difficilis possessio, & plena doloris amif-  
sio: perfectè beatos non esse, neque perfectâ  
& solidâ perfundi lætitiâ eos, qui omnia stu-  
dia & conatus suos hûc referunt, vt ad glo-  
riæ & honoris fastigium conscendant, & im-  
mortalem nominis splendorem consequan-  
tur, satis ex ijs, quæ diximus, apparet.

III.

*An perenne Gaudium & Beatitatem con-  
ferant Honores & Gloria?*

**P**Ræterea hæc est humanæ Gloriæ & di-  
gnitatum conditio, quòd fluxa sit om-  
nis & transitoria mundi Gloria, nec manen-  
di fida, vt verè AEsaias cecinit: *Omnis caro  
fœnum & omnis gloria ejus tanquam flos agri,  
exaruit fœnum, decidit flos.* An non misera  
est honorum conditio? qui sœno arido, non  
viri-

Salomō.

Matth: 6.

viridi gramini æquivalentur, & assimulantur floribus, non qui humanâ curâ & industriâ provehuntur, sed qui in campis sylvescunt, quibus nihil vilius, nihil inconstantius, nihil levius? Salomonis profectò ingens erat Gloria & celebre nomen in toto orbe, ita ut Regina Austri ex longinquo venerit ad audiendam sapientiam ejus, quâ omnes in mundo Reges superavit; qui muneribus suis satis testati sunt, quantò ejus videndi & audiendi desiderio tenerentur. At filius Dei hanc ejus in omnes Mundi partes pervulgatam famam & universam Majestatis gloriam, lilijs campi longè inferiorem esse testatur: *Dico vobis quod Salomon in universa Gloria sua non fuerit tam splendide amictus, ut unum ex ijs.* Longo igitur intervallo, vnum Lilium non omnia, non domestica cura nutritum, sed Lilium agri; non vulgarem & quotidianam, sed universam gloriam Salomonis post se relinquit. Ut fumus à vento dissipatur, ita evanescit omnis hujus mundi Gloria. Testantur enim omnes historiæ, homines, cum ad summum pervenerunt Gloriæ & dignita-

gnitatis fastigium, & incipiunt partâ ingen-  
tibus laboribus Gloriâ, quiete frui, tantò gra-  
viori lapsu ruere, quantò altius ascenderunt.

NEBV CADNESAR cum divinos hono-  
res affectaret, infra omnium mortalium con-  
ditionem abijcitur. Et H A M A N quantò  
celerius ad proximum à Rege locum & di-  
gnitatem ascendit, tanto graviore ruina de-  
cidit.

Cumque H E R O D E S ultra humanam  
conditionem divinos honores sibi conferri  
pateretur, ab Angelo Domini percussus, à  
solio deaurato deturbatur: & quem paulò an-  
te ut Deum adultores adorabant; modo ut  
hominem morti vicinum & foetore plenum  
aversantur.

X E R X I S ingens Gloria fuit; sed major  
fastus: humanæ conditionis oblitus, supra  
Deos & homines, adeoque supra omnes cre-  
aturas efferebatur: superbo simul & procaci  
fastu, Helleponto trecenta verbera infligere,  
stigmata inurere, & colaphos incutere jussit,  
& in pelagus par compedum conijcere his  
verbis: *Hac te Dominus pœna afficit, qui*

*De eum*

NEBV  
CAD:

H A M A N:

HERO-  
DES.  
AB

XERXES.  
AB

Herodo-  
tus.

Caput Quintum

eum laesisti, à quo nullâ unquam injuriâ affectus es: adeoq; in eam superbiam prolapsus est, ut maris terrarumq; ac propria natura inscius videretur. Sed quando fastigium suum supergressa est humana Gloriâ; sustinere amplius molem non potest. Itaque Xerxen tantò major apprehendit ignominia, quantò Gloria eminentior erat: postquâ turpi fuga omnem gloriam in confusionem converteret.

CYRVS.

Nec minor CYRICUM Gloria fastus: cui cum quidam ex sacris equis candidis in Gyndem fluvium demersus perijisset, hanc injuriam ulturus, totam solvit Babylonis obsidionem, & cum universo exercitu ad Gyndem ulciscendum convertitur, tota que æstate labore & sumptu immenso Gyndem in centum & octuaginta alveos divisit. O immanem profecto, inquit historia, superbiam, Elementis non secus ac hominibus irasci, & ab eis reverentiam exigere. Cumque ingentem, Tomyri Malsagetarum Regine bellum inducendo Gloriam, ex victa foemina reportare sperabat; victus à foemina tantus Monarcha & for-

& fortissimus Heros, perpetuum dedecoris  
& ignominie exemplum posteris reliquit.

Quid hic Alexandrum M. qui ob affecta-  
tos nimios honores omnem Gloriam ami-  
sit? Quid Croesum? Quid Apriem Aegypti  
Regem? Quid Dionysium Syracusanum?  
quid Iulium Cæsarem? quid Pompejum Ma-  
gnum cõmemorem? An non IULIVS COESAR  
vnus omnium omnem Glorix humanæ am-  
plitudinem affectavit; ita vt planè nihil fece-  
rit alijs reliquum? *his non contentus, amplio-  
ra etiam humano fastigio decerni sibi passus  
est, ut Svetonij verbis hic vtar, Non enim ei  
continuus consulatus, perpetua dictatura, cen-  
soriaq; dignitas, prenomen Imperatoris, cog-  
nomen patris patriæ, statua inter Reges, sug-  
gestum inter Orchestra, ad Gloriam sufficie-  
bant. Quin etiam sedem auream in curia col-  
locatam, & pro tribunali thensam, & fercu-  
lum circense, Pompa, templa, aras, simulacra  
juxta Deos, pulvinar, flaminem, lupercos, ap-  
pellationem Mensis è suo nomine, & alios ho-  
nores ad libidinem cepit & dedit. Senatui  
assurgere amplius non sustinuit: Regnum af-*

POMPEI  
I.V.  
Cæsar.

Caput Quintum

fectavit ; quæ omnia tantæ Gloriæ ruinam opinione citiùs accelerarunt , vnde factum : ut quò gloriosior vita fuerit ; tantò despectior vitæ exitus.

POMPE.  
I V S.

Et quæ res hujus æmulum POMPEIUM evertit ; nisi ingens Gloria humanum fastigium supergressa , & loco subsistere nescia . Nam cum ingenti Gloriæ cupiditate velitaretur , & parem ferre non posset , jactaretque palàm , se uniùs supplensione pedis , totam Italiam militibus completurum , et unus omnia esse , unus omnia facere contenderet ; quam cunctis alijs invidit gloriam , ipse amisit ; tanto in morte despectior , quantò in vita gloriosior.

Esa: 45.

Quam igitur pœnam Deus superbis , quibus semper se opponit , minatus est inqviens : Gloriosos terræ humiliabo ; hanc omnes omnium a tatum historiæ testantur , secutam esse : hæ plenæ sunt ejusmodi exemplis , quæ omnes uno ore clamitant : Nihil esse levius , nihil inconstantius , nihil vanius gloriâ humanâ , quam homines stulti tanta contentione affectant.

Et li-

Et licet totum ævi sui tempus quisquam in summo splendore & gloria continuaverit, nec vllum debilitatę famę & honestatis damnum, quam diu vitali aura fruitur, passus est; mors tamen singulis horis imminens, & honoribus, quantumvis ingentibus, parcere nesciens, finem glorię imponit, & gloriosissimũ quemque Regem; in putridum & fœtidissimum cadaver, quod cunctis ingentem nauseam moveat, convertit. Idque sentiens SALADINVS magnus ille Aegypti Sultanus, suis mandavit, ut sibi mortuo, lineam interulam hasti appensam præferrent; vociferante præcone: *Saladinum Asia domitorem, ex tantis opibus & universâ gloriâ, nihil aliud secum auferre, quam ejusmodi Linteamen.* Noverat Rex sapiens, quam vanus fuerit omnis labor, quem hæctenus parandę glorię causâ tanto cum vitę discrimine impenderat.

Et Totilas, licet Tyrannus, non tamen ab hoc pio affectu planè fuit alienus. Nam cum aliquando cum paucis militibus vrbe Roma potitus esset, ad suos conversus, dixit: *Videte fluxam rerum humanarum conditionem,*

Mors.

SALADINVS.

AB

AB  
Totilas

Caput Quintum

cernite fortuna mutationes : paucis ante nos  
annis ducenta Gothorum millia, septem tan-  
tum millibus expugnavit & vicit Bellisarius;  
ego non totis quatuor millibus viginti Græco-  
rum millia superavi, & jam urbem Romam  
orbis quondam Dominam, sub pedibus tene-  
mus. Proinde non superbiendum nobis, sed  
Deum pro oculis habentes, fortuna mutatio-  
nes extimescamus.

Hoc qui præditi fuerunt affectu, & incon-  
stantiam gloriæ humanæ non ignorarent,  
summo studio gloriæ stimulos evitarunt:  
Philippus Macedo, ter de die sibi in sum-  
ma gloria constituto acclamare puerum iussit:  
*Philippe memento te hominem esse.* Et ob id  
Agatocles Sicyliæ Rex vasis suis aureis testa-  
cea miscuit. Et V Villichius Archi Episcopus  
Moguntinus Rota pro insignibus usus est,  
sicut & Piasus Poloniæ ex privato Rex ele-  
ctus, vestes & perones ex tilia cortice textas  
perpetuum antea actæ vitæ monumentum re-  
tinuit. Et Lescus secundus, vestes ex crasso  
panno, quibus privatus usus fuerat, sibi sem-  
per ante oculos poni voluit, ut vitæ privatæ  
memo-

Grant: lib:  
3. Sueto:  
cap: 12.

AB Philip:

Agato-  
cles.

AB Willi-  
chius.

Piasus.

AB Lescus.

Crome:  
lib: 2. fol: 39

memoriam retineret, nec humanæ conditionis fortunæque mutabilitatis, in ipsa dignitate & gloriæ eminentiâ oblivisceretur.

Ex his omnibus luce meridianâ clarius apparet, totum hunc Mundum his vanitatibus esse corruptum, & tamen nihil veræ felicitatis & ευδαιμονίας, nihilque veri perfecti & perennis gaudij inesse in tantò tamque immoderato gloriæ studio: quod nihil sit, nisi inanis & vana vanorum hominum opinio, quovis vento, quavis aura fugatior, & levior umbræ somnio, quæ quàm citò pereat, quàm celeriter, quantoque incommodo, & præsentissimo vitæ, fortunarumque omnium discrimine evanescat; satis ex ijs, quæ diximus apparet. Hanc qui sectantur, audiant vocem filij Dei dicentis: *Amen dico vobis, receperunt in hoc seculo mercedem suam.* Quin potius veræ virtutis studiosi simus, *quæ radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia, tanquam flosculi celeriter decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.* Veram virtutem per se, absque omni ambitiosâ affectatione Gloria sequitur, & falsam qui spreverit veram

Lib: 2.

pag: 30.

Cicero

Caput Quintum

Lib: 25.  
lect: Anti:  
cap: 10.

Cap: 1.

AB

ram habebit. Et Cœlius aureum illud, & quemadmodum ipse vocat bracteatum, & omnium foribus appingendum, Agesilai cognomento Magni Apophthegma in Theatrum adducit: qui fiscitanti cuidam, quoniam pacto gloriam apud homines adipisceretur: si dicas, inquit, optima; facias autem pulcherrima. Simus igitur modicâ & perulgatâ inter nostros gloriâ, virtute partâ, contenti, & quotidie Syracidis præceptum in omnibus vocationis nostræ operibus nobis proponamus: *Fili in mansuetudine opera tua perface, & super hominum gloriam diligèris. Quanto major est tanto magis te humiliato in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Altiora te ne quaesieris & fortiora te, ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper.*

*Vsibus edocto si quicquam credis amico  
Vive tibi & longè nomina magna fuge.  
Vive tibi, quantumq; potes prælustria vita;  
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.*

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

*AN REGNUM ET IMPER-  
rium, ceteraq; dignitates vitam beatam,  
verum, perfectum & perenne gau-  
dium conferant?*

**S**ed ad altiora series institutæ  
materiæ nos vocat. jam & inde va-  
nitate Mundi æstimantes, quòd  
plurimos videmus ingenitâ quadam naturæ  
bonitate, summo studio, summisque labori-  
bus ad dignitates superiores, Regna & Impe-  
ria aspirare, & in eis veram felicitatem, verum,  
perfectum & perenne gaudium quærere.

Multi Reges & Principes omnibus seculis  
spem omnem in Regnis suis, optimarum le-  
gum præsidio benè constitutis, & magna re-  
rum bellicarum potentia armatis, militum  
copioso numero instructis, arcium & civita-  
tum munitissimarum robore confirmatis,  
collocatam habuerunt.

Quemadmodum de Nebucadnesare sacræ  
testantur literæ, quòd cum Babylonem à se  
magnificentissimè conditam intueretur, in-

AB

APRIES.

Diony-  
sius Sy-  
racusa-  
nus.

genti perfusus gaudio, in hanc vocem insolentem proruperit: *Hæc est Babylon civitas illa magna, quam EGO ædificavi, in domum regni, in robore fortitudinis MEÆ & in gloria decoris mei.* APRIES Aegypti Rex tantam de sui regni firmitate conceperat fiduciam, ut palam jactare non sit veritus: Regnum se possidere ne Deorum quidem vi & potentia destruendum. Dionysius Syracusanus gloriari solitus est; Regnum suum duabus cathenis adamantinis firmatum esse.

Ingens est regnorum & imperiorum splendor, magna Regum potentia. Imperatoribus, Regibus, Principibus & omnibus in quacunque Magistratus eminentia positus, magna exhibetur à subditis reverentia, summo honore coluntur, & quidem non immeritò: Delicatisimo utuntur corporis cultu, fulgent auro & gemmis, splendidissimis ædificijs inhabitant, immenso satellitum agmine stipantur, denique vitam agunt inter mortales, mortali conditione ferè superiorem. Quæ res hominum oculos perstringit, & omnium animos rerum augustissimarum Majestate

atto-

attonitos detinet, vt hanc vitæ rationem admirantur, & cæteris omnibus præstare existiment, totamque in ea hominis felicitatem consistere arbitrentur.

*Natura hominis*, inquit Salustius, *arida est Imperij*. Et hic dominandi affectus ab ipsa natura, adeoque à primis generis humani satoribus nobis insitus esse videtur. Itaque cum Alexander M. Philosophos disputantes & asserentes audiret, non unum esse Mundum, sed plures, in lachrimas solutus est, quod nondum unius Mundi Dominio potiretur. Et DIONYSIVM SYRACVSANVM Tyrannidem vita ipsa longè chariorem habuisse ostendit hæc, quam de eo Cælius Rhodoginus annotat, historia. Cum enim in initio Tyrannidis, quam varijs artibus, ut erat ingenio vaser, acquisiverat, à civibus in eum conspirantibus arctius obsidione premere-  
tur: amici verò svaderent, ut, nisi vellet à civibus suis, in potestatem eorum redactus, cum ludibrio necari; Tyrannidem spontè deponeret: hanc enim solam salutis viam relictam: ipse autem videret bovem, quem co-

Alexand:  
M.

DIONYS.  
SIVS.  
Lib: 22.  
Antiq:  
lect:

Caput Sextum

cus tunc fortè maectabat momento prolapsus, conversus ad amicos respondit: *Nonne deforme est mortem adeò celerem expavescentes, tantum relinquere principatum.*

I.

*Principatus Regna & Imperia non conducere ad beatè vivendum.*

*In imperijs & Regnis non veritate nec verum gaudium.*

*I.  
Quia periculus curis & molestijs plena.*

**E**T si autem hic tantus dominandi ardor, hominum, vitam beatam, verumque gaudium in Principatu quærentium, mentes occupatas detineat: veram tamen neutiqvam felicitatem; sed falsam, & veriduntaxat specie fallentem, imperia & regna conferre, evidentissimis rationibus & omnium temporum historijs ostendemus. Nam sapientissimus omnium, qui unqvam Regiâ dignitate & splendore illustres fuerunt, Salomon, accuratis rationibus & summa diligentia investigatis, non modò rebus omnibus, quas tanto opere admiratur homines, verum etiam considerata & diligèter examinata potentiâ Majestate & splendore suo Regio, exclamat: *vanitas vanitatum & omnia vanitas!* deplorans nimirum  
omni-

omnium Regum & Principum vitam evanidam simul, & curis miserisq̄ue refertam. Tametsi totius Mundi Imperiū quis invaserit, totoque ævi sui tempore in summo dignitatis fastigio collocatus, in existimatione ore & calamo omnium versatus fuerit, tandem tamen re ipsa comperietur: *Omnia vanitatem fuisse*, nimisq̄ue serò deplorabit; omne illud, quod in Majestate Regiâ contrivit tempus, plenum fuisse miseriarum, tristem servitutem, & non nisi nocturnū quoddam ludicrum. Vti quondam compertum fuit, in ebrioso quodam homine, quem PHILIPPVS cognomento Bonus (Princeps Belgiæ, ob insignes virtutes, pietatem, fortitudinem, justitiam, & in gerendis rebus perpetuam felicitatem, æterna memoria dignissimus) in foro stertentem invenerat, in quo vitæ humanæ in summo dignitatis fastigio ludicrum experiri placuit. Itaque hominem sublatum, in Regiam secum abduxit, regio lecto collocari, donec edormisset, posteroq̄ue die hominem more Ducali splendidè indutum ita tractari, illiq̄ue ministrari iussit, ac si jam ille Dominus & Prin-

AB

Philip-  
pus Bo-  
nus.

ceps Belgia<sup>e</sup> esset: Circa vesperam verò rursum inebriatum, vestibisque prioribus indutum, loco quo eum repererat, collocavit: qui postridie experrectus, collatis rationibus omnibus, somnium fuisse vitam illam Ducalem, quam egerat, statuit. Repetit prolixius & luculenter hanc historiam, ex Lodovvici vivis Epistola, Dominus præceptor David Chytræus in Chronico suo incomparabili illo Thesauro omnium lectione dignissimo, ac egregio hoc Epiphonemate concludit: *quid inter est inter diem illius & nostros aliquot annos? nihil penitus, nisi quod hec est paulò diuturnius somnium, ac si quis unam duntaxat horam, alter verò decem somniasset.*

NB  
Iohannes Aragonia R.

IOHANNES verò Arragonum Rex, pijsissimus senex, vanitatem hanc imperiorum & Principatus, ac fluxam rerum humanarum conditionem, in ipso mortis articulo nimis patheticè deploravit. Febri enim anno 1479 correptus, post usum cenæ dominicæ, dum lectioni Evangelicæ & recitationi psalmodi intendit, subito languore concidit: ita ut clausis luminibus, manibus pedibusque rigescens

tibus

de Regnis & Imperijs.

tibus defecisse jam, & animam efflâsse crede-  
retur: Verum respirans, & reclusis oculis, o-  
mnes qui aderant aspiciens, exclamavit: O  
vanas hominum cogitationes! O miseros o-  
mnes, qui ad principatus aspirant, qui diviti-  
as, opes, & nimios honores affectant! O feli-  
cem pauperum conditionem, & illorum secu-  
ram vitam atq; beatam, qui panem comedunt  
cum sudore sui vultus, qui vivunt labore ma-  
nuum suarum! Nam mihi misero, quid re-  
gnum, quid honores, quid obsequia plurimo-  
rum contulerant? Quid? labores scilicet ma-  
gnos & multa corporis & anime pericula, nec  
unquam a tate tam longa, potui mihi dies ali-  
quot videre bonos. O me miserum & infeli-  
cem, qui tam serò fallacem mundum cognosco?  
qui vitam certè vixissem multò meliorem, si  
non Rex, sed pauperis agri cultor fuissem.  
Conversus autem ad imaginem Christi Cru-  
cifixi, defixis in cœlum oculis, O pientissime  
redemptor, inquit, parce mihi indignissimo ser-  
vato tuo, miserere mei clementissime Iesu, & à  
peccatis meis averte faciem tuam, non meis  
meritis Domine, quæ nulla sunt, sed illâ tuâ  
ineffa-

Caput Sextum

ineffabili pietate, & infinitâ misericordiâ motus, qua homines à morte redimere per crucem tuam voluisti. Atque inter hæc verba, quæ cum magna animi commotione protulit, extinctum esse, Marinæus lib: 18. rerum Hispanicarum commemorat. Et eisdem planè votis ac querelis Alphonsum fratrem ejus Regem Neapolitanum, nunquam satis ob insignem pietatem sapientiam, fortitudinem, celebratum, ex hac misera vita emigrasse, testantur historiæ.

Et cui melius constabit de Regnorum fucosa gloriâ, & mentitâ Regum felicitate, quam ipsis Regibus & Principibus. Quapropter cum aliquando Dionysius junior Rex Syracusanus ex Damocle assentatore aulico, qui quotidie felicitatem & beatitudinē ejus prædicabat, quæreret: num illam experiri secum & degustare velit fortunam & felicitatem: Annuentem, Regali & aureo collocavit lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificisq; operibus picto, abacumq; ornavit argento auroq; calato: eximiâ formâ pueros delectos consistere ad Mensam, atq; ad nutum illius in-

AB

Dionysius.  
Cic: in  
Thuscu:

us intuentes, omnia diligenter administrare  
iussit: addidit unguenta & coronas, incen-  
dit odores, ipsamq; mensam exquisitissimis epu-  
lis construxit. Damocles sibi fortunatus vi-  
sus. At Dionysius in medio apparatu fulgen-  
tem gladium è lacunari seta equina appensum  
demitti iubet, ut impenderet illius beati cervi-  
cibus. Quo animadverso Damocles, ita animo  
concidit, ut nec pulchros deinceps administra-  
tores nec plenum artis aurum & argentum  
aspiceret, nec manum in mensam porrigeret.  
Iam ipsa defluxerant coronæ; deniq; Tyran-  
num precatus est, ut abire liceret, quod jam be-  
atus esse nollet. Hujus porrò Dionysij sic de-  
scribit vitam Cic: ut miserrimum planè fuis-  
se in summo isto Majestatis gradu ostendat,  
nec ea ipsa quæ concupivit, ne tum quidem,  
cum omnia se posse censebat, consecutum,  
perpetuò terrore & metu amittendæ vitæ vnâ  
cum Tyrannide conflictatum. Cumq; pluri-  
mos haberet amicos & familiares, græcoq; mo-  
re amore conjunctos adolescentes, credidisse se  
eorum nemini: servis & barbaris curam cor-  
poris commisisse: & ne tonsori collum crede-

ret, filias tondere docuisse, ab adultis ferrum  
 remouisse, candendibus juglandium putamini-  
 bus barbam & capillum, sibi ut adurerent, in-  
 stituisset. Fossam latam cubiculo cum ponte pen-  
 sili circumdedisse. Cumq; in communibus sug-  
 gestis consistere non auderet, ex alta turri con-  
 cionatum. Neq; tamen, quod est miserrimum,  
 si vel maxime uolisset, ex hoc carcere, & ex  
 ista seruitute ad libertatem & iustitiam con-  
 tendere potuisset; his enim improvida atate im-  
 plicuisse se erratis, eaq; commisisse, ut saluus  
 esse non posset, si sanus esse cepisset. Vixisse igitur  
 cum fugitiuis, cum facinorosis, cum barba-  
 ris, fugisse consortium omnium, qui libertate  
 digni erant, hujus uitae, ut compendio dicam,  
 inquit Cicero, nihil tetrius, miserius, detesta-  
 bilius excogitari potest.

Legimus & de Rege quodam, qui nun-  
 quam ridere visus sit, quiq; nullis rebus,  
 quantumvis iucundis & facetis ad risum com-  
 moueri potuerit. Aulici & consiliarij Regis  
 sui ingenium admirati, fratrem Regis im-  
 pellunt, causam tristitiae ut sciscitetur. Cui  
 Rex causam indicaturus, postero die iubet fo-  
 veam profundissimam stratis in fundo igni-

tis carboribus parari, solium vetustate ferè corruptum super imponi, in quo fratrem diademate scepro, & cultu Regio magnificentissimo ornatum, collocat, abacum auro argentoque cæato, & varij generis vino, epulisque exquisitissimis instructum poni jubet, adhibentur cantores voce & multiplici instrumento Musico modulantes, ministrant mensæ nobiles aulici, nec quicquam Regalis magnificentiaë desideratur. Interim capiti fratris Rex enses filo bombycino imminentem è lacunari demittit, armatos milites quatuor subornat, qui strictis ensibus novum Regem adoriantur, pectus hic, alter tergum, reliqui duo utrumque latus mucrone petant. Quibus hoc modo constitutis fratrem bono esse animo, demere supercilio nubem & ridere Rex jubet: at is inter tot pericula totus perterritus, & penè exanimatus, quo se vertat, nisi præsentissimo cum vitæ periculo, non videt: modò ut surgere & abire sibi liceat, per Deos omnes precatur. Tum Rex: Talis est vita omnium qui ad gubernacula sedent; in his periculis vitæ & fortunatum

Caput Sextum

omnium singulis momentis versor & ego, in  
Regio quidem sum constitutus throno, at is  
singulis horis ruinam minitatur. Cum nul-  
lum sit in orbe imperium tam firmum, quod  
non varijs casibus sit obnoxium, quocunq̄ue  
me verto imminens periculum ante oculos  
positum cerno: Supra me Deum justum ju-  
dicem, accuratam postulaturum, paulò pòst  
à me totius vitæ, & gubernationis meæ ratio-  
nem video, finemq̄ue singulis momentis, vitæ  
meæ tenui filo dependentis, imminentē vereri  
cogor. Infra me si lumina defigo, gehēnæ hor-  
ribile Barathrum, infernalibus flammis ar-  
dentem intueor. Si ante me prospicio vitam  
vario fortunæ ludibrio expositam desidero,  
& tragicos casus extimesco. Retrò respiciens  
vitam antea actam multis peccatis & erroribus  
deploro: si ad vtrumq̄ue latus oculos defle-  
cto, imminentium undiq̄ue malorum con-  
geriem, & ingruentium calamitatum pericu-  
la exhorreo. His malis exercetur quotidie, qui  
imperia & principatus tenent. Habes igitur  
frater causas tristitiæ meæ, quas dum singulis  
momentis mihi ante oculos pono, nullam  
mihi

mihī ridendi & ludendi causam oblatā video.

Neque hujus rei erat ignarus Rex quidam, de quo alibi commemoratur, cui cum oblatu pileus Regius esset, diu illum aspiciens in hæc verba erupit: Si inquires intelligerent homines quanta miseriarum, onerum, curarum & periculorum in te esset copia, jacentem cum Diademate è cœno non elevarēt.

Prudentissimi Reges, multiq̄ue alij præstantissimi viri, omnibus seculis accuratè perpenderunt vanam illam, & inani fūco hominum oculos & animos perstringentem Regum Majestatem. Itaq̄ue tantò magis ab hoc vitæ genere abhorruerunt, quantò longius vitam illam à vera Beatitudine, & vero sinceroq̄ue gaudio abesse censuerunt. Quocirca Moses diu oblectatur Domino Iehovæ, mittenti eum ad deducendos ex Aegypto Israelitas. Et patrum nostrorum ætas vidit Sigismundum Polonorum Regem à Succis post ejectum Christiernum: tum etiam ab Hungaris atque Boëmis, post miserabilem Ludovici fratris filij interitum, electum & expetitum; utranq̄; electionem, utrumq̄; etiam regnum repudiâsse.

2.

*Prudentissimi homines dignitates fugiunt.*

Lib: 3. Sa-  
xo: cap: 3.

Et de HENRICO primo Saxonie Duce scribit Albertus Cranzius, quod, cum diadema Imperij sibi delatum à Pontifice respuisset, viri prudentes ad cælum manus levaverint, quod tali modestiâ Principem haberent. Et Suetonius de GERMANICO patre Caligulae scribit, quod cum post mortem Augusti à militibus Imperator contra Tyberium nominatus esset, primò verbis plurimis seipsum excusasse, quibus cum nihil proficeret, gladium distrinxisse, quasi sibi ipsi manus illaturus, ut à proposito milites revocaret; sed neque hac via procedente, multis & varijs artibus usus est, donec compesceret seditionem & militum animos, ad Tyberium rursus inclinaret: maluitque privatus vivere in ocio, quàm inter tot negotia Imperij perpetuis calamitatibus excruciarì.

II.

*Sitne in Regnis & Imperijs PERFECTA  
Beatitudo & letitia.*

Quantò magis detestanda illorum est furiosa cupido, qui non justis & legitimis rationibus, sed magna impietate, & varijs arti-

1.  
Acquisitio ple-

artibus Regna & Imperia invadunt. Si cui imperij alicujus aut rerum publicarum gubernatio divinæ providentiæ nutu, quo omnia hujus mundi regna distribuuntur, obtingit; si qui vel hæreditario quodam jure, vel legitima Electione, principatum & Rempub: gubernandam accipiunt, hi bona conscientia imperij & gubernationis onera sustinere, & divino afflatu, qui regibus & principibus viris, heroicisque ingenijs peculiaris est, se regi ut regant, gubernari, ut rectè & pie gubernent, à Deo petere, ejusque præsentiam & tutelam se consolari possunt. His quoque onera gubernationis à Deo mitigantur, & hi magno agmine Angelorum sanctorum defenduntur, hi singulari sapientia & moderatione populum suæ fidei commissum regunt, & felices sunt horum conatus. Sed testantur omnium ætatum exempla, multos regna & principatus impietate, injustitiâ, scelere & fraude, ingenti præterea labore, & periculo vitæ & fortunarum acquirere.

Vetustissimum est ETEOCLIS exemplum, qui fratri Polynici, uti inter eos conve-

*na ma-  
larum  
artium.*

*v.  
Acqui-  
runtur  
inter dñs  
imperia  
Injuste.*

Caput Sextum

Euripides  
in Phœnif.

Cæsar.

Impiè.

convenerat, regnum quod primo anno tenuerat, cedere noluit, maluitq; potius jus omne violare: *Si jus, inquit, violandum est, regni causâ violare pulchrum est, in cæteris pietatem colas.* Sed ex hac fœderis injusta violatione atrox & crudele bellum oritur, in qua tota Cadmi posteritas deleta est: & in mutuam perniciem dominandi ardore, singulari certamine congressi mutuis vulneribus ceciderunt: Infelix mater Iöcasta, extracto ense ex sinu filij, seipsam confodit; septem Duces græcorum vnâ cum toto exercitu perierunt, & Thebæ funditus eversæ sunt. Cumque C. IULIUS CÆSAR hoc ipsum Eteoclis dictum semper in ore haberet, regni que causâ & ipse jus violaret; contra omne jus, cum ad jus dicendum in curiam venisset, trucidatus est. Plura exempla in historijs sunt obvia.

Verum enimverò non justitiæ modo tenor Regni causâ violatur, sed & omnem adeò humanitatem exuunt homines, ut & σοφὸν φρονίον, & inditum mentibus humanis amorem, parentes pariter et liberi, fratres quoque Germani uni regnandi cupiditati longè postpo-

postponant. *Hic socer à genero non est tutus, fratrum hic quoq; rara est gratia, ipsique conjuges rupto socialis amoris vinculo, fidem omnem, & sanctissimum conjugij fœdus regni causâ dissolvunt.*

Itaque ut tutius regno, multo labore acquisito, parentes fruantur, sæpè levi aliquâ suspicione moti, beluinâ immanitate in liberos tollendos sævierunt. Iccircò cum HERODES ex varijs conjugibus multos suscepisset filios, perpetuò metuens regno, ceu multâ tyrannide acquisito, immani sævitiâ omnes filios mactavit, non parcens etiam dilectissimæ conjugi Mariamni, sicut infra dicetur copiosius: ita ut Augustus Cæsar aliquandò dixisse perhibeatur: *Malle se Herodis suam quàm filium esse.* Sues enim Iudæis mactare non licebat.

Sic ATHALIA Iudææ Regina conjunx Iorami, post mortem mariti cum audisset Ochoziam filium à Iehu interfectum esse, omnem regium sanguinem delere constituit, utque sola regnaret, nepotes omnes crudelis fœmina, ex merâ ambitione furens, sustulit, vixque Ioas ex filio nepos Iosabethæ amitæ

*Parètes  
erga li-  
beros AB  
impij.  
Hero-  
des.*

*Athā-  
lia.  
4. Reg: 11.*

Laodi-  
ce.

Cleopa-  
tra.

Sabel: lib:  
3. cap: 10.

Mithri-  
dates.

Sabell: lib:  
3. Enne: 6.

servatus pietate, superstes mansit; & parum  
abfuit, ut tota Davidis stirps interiisset. Huic  
planè simile est, quòd de LAODICE Cap-  
padocix Regina refertur, quæ amisso viro cum  
vereretur, ne à filijs adultis regno aliquandò  
pelleretur; quinque veneno sustulit, sexto in-  
columi contra ejus voluntatem servato: qui  
postea, cum illa populari tumultu, ad eun-  
dem planè modum quo Athalia, interiisset, in  
regnum successit. Et CLEOPATRA filijs ob  
regni successionem infensa, alterum occidit,  
alteri venenum miscuit; quod tamen ipsa ebi-  
bere à filio coacta est.

Tantus est imperandi amor & mirus affe-  
ctus, qui omnem à natura animis insitum er-  
ga prolem amorem, planè non modò extin-  
guit; sed insuper eundem in hostilem erga cha-  
rissimos liberos & furentem crudelitatem con-  
vertit. Mithridates Ponti rex filium, quem  
Cimmerij Bosphori accolæ, & Colchi ab eo  
abalienati, regem sibi dari postularunt, au-  
reis catenis vinxit, vinctumque necavit; ni-  
mis severâ ultione, patriâq; potestate in inno-  
centem filium indignâ. Neque enim mino-  
ri cru-

ri crudelitate reliquos impuberes filios duos, matremque eorum, & fratrem, & tres filias interfecit; non homo, sed quavis Tigride truculentior belua. Nec minor sævitia DIOTARI Galatarum regis: cui cum plurimi essent filij; ut uni tantò firmitus imperium & patrimonium relinqueret, reliquos omnes suis manibus necavit, *more*, inquit Plutarchus, *vinitorum, qui ex plurimis, quos vitis una emisit surculis, cæteris amputatis, unum relinquant, ut major & robustior evadat.*

Nec minor liberorum in parentes furor, ob regni spem occupandi, omnem insitam naturæ reverentiam tollens, & ad crudele Parricidium, à quâ ipsa natura abhorret, committendum eos impellens. Neque ipsæ sacræ literæ ab ejusmodi exemplis immunes sunt. ABSOLON enim Davidis filius, quibus ille non artibus regno paterno est insidiatus? Quantâ immanitate venerandum senem, sanctissimū vatem regno expulit; nec expulisse satis erat, nisi etiam vitæ parentis insidias strueret! Et ADONIAS alter filius videns patrem, ætate exactâ, summo senio confectum, & viribus defi-

*Diota-  
rus.*

*Liberi  
in parē-  
tes impij*

*Abso-  
lon.*

*Adoni-  
as.*

Caput Sextum

deficientibus infirmum; consilia de regno adipiscendo, cum Ioab polemarcho, & Abjathare sacerdote summo, miscere cœpit: quorum operâ coronam sibi ipsi, contra voluntatem & decretum patris, quo Salomon Rex declaratus fuit, imposuit. Quæ res finem vitæ Ioabo attulit, & Abjatharem ab officio deturbavit.

Recitat Cælius triste parricidij exemplum, totidem ferè verbis ex Iustini lib. 10. Cui putat comparari, non posse crudelitate aliud.

ARTARXERXI Persarum regi, cum fuerint ex plurimis concubinis & conjugibus centum & quindecim filij, & in his tres tantum ex legitimo matrimonio suscepti: Darius, Arjarates, Ochus: Darium, ut tutius viveret, contra morem Persicum, regem declarasse: At illum, ut novum paternæ indulgentiæ exemplum, novo prorsus & inaudito scelere recompensaret; interficiendi patris consilium cepisse: Et quod omnem excedit admirationem, communicato tam nefario proposito, cum quinquaginta fratribus, inter tot repertum non esse unicum, cui illud improba-  
retur,

*Artar-*  
*xerxes.*  
Lib: 11.  
Antiq:  
lect: cap: 17

retur, vel qui adversum ire conatus fuisset. Vxorem seu concubinam patris Aspasiam, mulierum formosissimam denegatam Dario, præbuisse causam parricidij, vel ipso parricidio scelestiorem. Sed eventu frustratum, tanti sceleris poscente pœnam divino numine, paternæ reverentiæ vindice, perijsse unâ cum uxore & liberis, totoq; fratrum cohorte, inauspicati parricidij complice, horumque liberis, uxoribus, & totâ familiâ; ne tam abominandi sceleris ullum prorsus vestigium, & ex tam nefariâ sobole, ulla progenies superesset.

Non dissimile crudelitatis & parricidij detestandi exemplum edidit ob regni cupiditatem ANTIPATER, Cassandri Macedonum regis filius, dum in propriam matrem crudelissimè, ob meram suspicionem, quod in regni constitutione, mortuo Cassandro, ad minorem natu filium Alexandrum visa esset inclinare, sævijt. Nec liberare illam à mortis periculo potuere tot sanctissimæ obtestationes, tot evidentes criminis purgationes, tot anxij clamores, miserabiles ejulationes, & largiter effusæ per genas lachrymæ; nec moverunt tyran-

Anti-  
pater.

num miserrimæ matris ostensa ubera, nec detectus uterus, qui eum gestaverat & in lucem produxerat: Ad miserationem omnibus commotis, solus filius quavis beluâ & ipso Phalari- de crudelior, immotus constitit in proposito, nec suspirio quidem edito ullo, à matre supplicium poposcit: neque quievit, donec innocentissima, & miserabilis mater crudelissimè præ ipsius oculis interficeretur. Adeò hic tantus dominandi furor ipsi naturæ vim inferre non dubitat, dummodò suis cupiditatibus satisfaciat. Cumque VITELLIVS ex vetulâ quâdam cognovisset, ita demum firmiter ac diutissimè se regnaturum, si superstes parentibus extitisset, matrem quæ supererat Sextiliam nefariè sustulit. Et COSROES Persarum Rex Hormisdam patrem regno & vitâ privavit, ob prælatum sibi auctoritate parentis fratrem natu minorem. At justo Dei iudicio accidit, ut idem supplicium, eadem de causâ tulerit à filio proprio SIROE, quòd natu minorem filium hæredem instituisset. CAROLVS item M. qui pietate, eruditione, sapientiâ & fortitudine cunctis alijs Regibus & Prin-

Vitel-  
lius.

Cosroes.

Carolus

Prin-

Principibus præluceat, filios magnâ curâ ab in-  
cunte ætate, omnibus virtutum generibus in-  
struxit; nec tamen tutus à filio Pipino eodem-  
que notho, claudio & gibbofo, esse poterat.  
Tantus in isto regnandi amor, ut ne toties qui  
dem indulgentiâ patris pijsissimi remissa noxa,  
ab instituto nefario hominem regno indi-  
gnissimum revocare potuerit, quin subindè  
novas moliretur conspirationes.

Ac ut intelligant omnes quanto scelere par-  
ricidæ sese polluant, Ciceronis locum hic as-  
scribere libet. *Prudentissima, inquit, civi-  
tas Atheniensium, dum ea rerum potita esset,  
fuisse traditur. Ejus porrò civitatis sapientis-  
simum Solonem dicunt fuisse eum, qui leges,  
quibus hodiè quoque utuntur, conscripsit. Is  
cum interrogaretur, cur nullum supplicium  
constituisset in eum, qui parentem necasset, re-  
spondit: Se id neminem facturum putasse. Sa-  
pienter fecisse dicitur: cum de eo nihil sanxe-  
rit, quod antea commissum non erat: ne non  
tàm prohibere, quàm admonere videretur.  
Quantò majores nostri sapientius, qui cum  
intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non*

ali-

Pro Ro-  
scio.

Caput Sextum

aliquandò violaret audacia, supplicium in  
 parricidas singulare excogitaverunt, ut quos  
 natura ipsa continere in officio non potuisset,  
 magnitudine pœnæ maleficio summo verentur.  
 Insui voluerunt in culeum vivos: atque ita  
 in flumen deijci. O singularem sapientiam ju-  
 dices! Nonnè videntur hunc hominem ex re-  
 rum naturâ sustulisse, & eripuisse? Cui re-  
 pentè cœlum, solem, aquam, terramq; ademe-  
 runt, ut qui eum necasset, undè natus esset, ca-  
 reret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata  
 esse dicuntur: Noluerunt feris corpus obijce-  
 re; ne bestijs quoq; quæ tantum scelus attigis-  
 sent, immanioribus uteremur. Non sic nudos  
 in flumen deijcere; ne cum delati essent in ma-  
 re, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata  
 sunt, expiari putantur. Deniq; nihil tam vile,  
 neq; tam vulgare est, cujus partem ullam re-  
 liquerint. Etenim, quid tam est commune,  
 quàm spiritus vivis? terra mortuis? mare  
 fluctuantibus? littus ejeclis? Ita vivunt dum  
 possunt, ut ducere animam de cœlo non que-  
 ant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non  
 tangat: Ita jactantur fluctibus, ut nunquam  
 alluan

alluantur: Ita postremò eijciuntur: ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

Nullum quidem ad tuendum Imperium concordiâ fratrum fortius vinculum, quod natura ipsa connexit: & tamen videmus illud sæpissimè sævâ regnandi libidine rumpi, & ad mutuam perniciem beluinâ prorsus ferociâ fratres in seipsos insurgere, divina potius & humana omnia violare jura, & contaminare sacra, quam regnandi cupiditatibus cedere. Id quod olim in ETEOCLE & POLYNICE compertum est, quorum etiam supra meminimus, qui mutuis vulneribus cadentes. dum vincere & regnare uterq; cupit; uterq; victus, regnum cum vita amisit. Sic tota CADMI posteritas, sic PELOPIDARVM domus, horribilibus editis exemplis, periit. Sic fratres PALAEOLOGI se ipsos unâ cum regno perdiderunt. Et nulli non notum est, ABIMELECHVM septuaginta fratres in una petra, ut solus regnaret, trucidâsse: Et IORAMVM sex fratres uterinos, & non paucos Principes populi, instigante Athaliâ conjugè, Achabi filiâ eadem de causâ interemisse. Nec

Hh

veri-

FRATRUM  
IN SE SE-  
VICIUM  
UM IM-  
PIETAS.

E T E O C L E S .  
P O L Y N I C E S .

Cadmi  
posteritas.

Pelopidarum  
domus.

Fratres  
Palaeologi.

ABIMELECH.  
IUDIC. 9.  
I O R A M .

2. Para: 210

Caput Sextum

CARA-  
CALLA.  
Herodoty  
lib: 2. pag:  
mih: 39.

TYPHON

CLEO-  
PATRA.

veritus est CARACALLA fratrem Getam, quem pater Severus voluit ipsius collegam esse, in sinu matris Iulix, quò confugerat, interficere. Nec CAMBYSES à fratre Smerde, fallacis somnij visione seductus, abstinuit.

Horrendum est, quod in principio libri 1. rerum antiquarum Diodorus de TYPHONE scribit, qui vnà cum 26. conjuratis, fratrem Osyridem Aegypti Regem, captum & interceptum, & quod omnem superat immanitatem, in tot partes dissectum, quod conjuratos habuit; singulis partem dederit, veluti hujus facinoris complicitibus, & ut simul eos ad regnum scelere partum sibi defendendum tantò fortius constringeret: Verum is haud multò post ab Iside, mariti pariterque fratris Osyridis cædis ultrice, adjuvate Oro filio, unà cum omnibus conjuratis, divinâ intercedente vindictâ, rursus interfectus est.

Quantò magis mirandum est, hunc regnâdi turpissimum affectum, cum pari conjuncta crudelitate, non in viros modò cadere, sed & in mulieribus conspici. Nam CLEOPATRA Aegypti Regina feminarum crudelissima, cujus

cujus supra quoque mentionem fecimus, Ar-  
sinoën sororem in templo occidit, fratrem in-  
sidijs sustulit. Hujus filia Celeuce non minus  
crudelis, (ὄυτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥῶδα φύεται)  
propriam sororem Cleopatram Syriae Regi-  
nam, & ipsa in templo necandam præcepit.  
Et, quod omnium maximè fuit detestatur ille:  
postquam regia mulier, omnium destituta  
auxilio, ad templa & aras confugisset, Deæq;  
simulacrum tenuisset, nec ullâ ratione abstra-  
hi se avellique pateretur; illa sorori brachia  
amputari jussit; Tyrannide & crudelitate  
muliebri ingenium superante.

Similia in historijs exempla ostendunt, ve-  
rum esse, quod inquit ille: *Omnisq; potestas  
impatiens consortis erit.* Et alioquin, rara est  
inter necessarios & sanguine junctos fides &  
charitas, ubi dominandi libido mentes ho-  
minum titillat. Et hodiè quoque in regno  
Turcico, quoties novus creatur Imperator,  
fratres ejus, etiamsi sexcenti forent, nihil nisi  
præsentissimam mortem expectant; cujus rei  
exempla non pauca in Chronicis & historijs  
Turcicis reperiuntur, ex quibus vnum insigne  
ex Cuspiano ascribam. Hh 2 Ma-

CELEUCE  
cc.

Caput Sextum

MAHO-  
METVS.

AB

MAHOMETVS II Amuratis II filius,  
 quo die pater è vivis excessit, fratrem nomine  
 Ihusinem, sibi à patre multis lachrymis com-  
 mendatum, mensem agentem infantia deci-  
 mum octavum, constituit occidere, ne pater so-  
 lus sepeliretur. Ux enim pater animam efflâ-  
 rat, cum cursim, relicta omni celebrandi func-  
 ris curâ, petit ades, ubi à nutrice infans aleba-  
 tur: In ventum in cunis, & sibi risu velut ad  
 blandientem, violenta manu arripit, ad proxi-  
 mum parietem inflicurus. Quam facinoris  
 atrocitatem, conspicatus Moses, Tyranno &  
 carissimus & æqualis, orat ne fraterno sangui-  
 ne manus inquinet. Exorat ea lege, ut ipse con-  
 tinuò infatè interimat. Paret Moses, moxq; in-  
 fantem & præsentem & immotis oculis aspicien-  
 te Mahometo, multa vi aqua obrutum, suffo-  
 cavit. Infelix mater Turca, genere, noverca  
 Mahometi, accurrit ilico, humi jacentem ma-  
 nibus infantè tollit, complet ululatibus omnia.  
 Et quoniam vitæ mortem in tanto luctu præ-  
 ferebat, Tyrannum diris prosecuta imprecati-  
 onibus, exanimis concidit: jussit mulierem at-  
 tolli Tyrannus, & fucatis verbis dolorem le-  
 nire

nire cupiens, necessitatem ferre æquo animo  
persuasit, cum factum infectum fieri non possit.  
Veterem Othomannorum consuetudinem es-  
se, ut cæteris interfectis, unus semper relinqva-  
tur in regno. Nam ut neq; plures sint Dij, ne-  
que soles, ita neq; plures deberi admitti reges:  
Itaq; bono animo eam esse hortatur, ei se pro  
filio semper futurum. Et ut insanientem miti-  
garet feminam, adjecit, si quid vellet, auda-  
cter peteret; illud enim se tanquam matri da-  
turum. Mulier irâ ardens, ad vindicandam  
innocui sanguinis injuriam, facinoris mini-  
strum Moïsen expetiuit. Quem Tyrannus  
vincis post tergum manibus, ac pedibus cathe-  
natum, dedendum imperat. Efferata mulier  
cultello pendente e zona, pectus miseri homi-  
nis, frustra opem Domini coram implorantis,  
transfigit: latus inde dextrum aperit, jecur ab-  
scissum eruit, datq; canibus discerpendum. Hac  
demum vindictâ mulier satiata, conquieuit.

Novit quoque mundus nihil æquè valere  
ad devinciendos hominum animos, & ad  
moderanda stabiliendaq; imperia, quàm ipsa  
Religio. Hac igitur ut mentes, hominum re-

Sub præ-  
textu  
Religi-  
onis.

I E R O.  
B O A M.  
3. Reg: 11.

pentè occupent, nefariè abutuntur, novam excogitant, condunt reconduunt; veterem flectunt reflectunt, varieque ad hominum captum & palatum inflectunt, non alia de causa, nisi ut suam sive tyrannidem, sive Imperium & potentiam stabiliant: Ita I E R O B O A M V S cum non ignoraret, quanta vis esset religionis, postquam à Roboamo sive Rehoboamo Salomonis filio defecisset, & jam decem tribuum Rex factus esset: veritus ne amore Religionis avitæ, subditi ad meliorem mentem redirent, & ab ipso deficerent; omnibus modis cavuit ne ad festum tabernaculorum Ierusalimam se conferrent, unde facilis ad Roboamum reditus esset futurus. Duos igitur vitulos ex auro conflatos, alterum in Bethel, alterum in Dan constituit, quos Deos esse Israelitarum, qui eos ex Aegypto eduxerint; nec minori reverentia dignos, licet manibus suis facti essent, quam templum manibus Salomonis exstructum, quod tanto operè coleretur, affirmavit: Phana quoque in excelsis constituit: Sacerdotes non ex tribu Levitico, sed de extremis populi elegit; Altaria ædificavit; testa

fecta transposuit. Effecit hac religionis im-  
mutatione, ut decem tribus à reliquis perpe-  
tuò segregarentur, teste D. Augustino; quam-  
vis & à domino illud ob peccata Salomonis  
factum esse, Propheta Semei significavit.

Intellexit hoc quoque MAHOMETVS  
autor Mahometicæ religionis, homo callidus  
& vafer, ingenioque & magicis artibus pol-  
lens, qui fundamenta jecit Imperij Turcici  
religionis mutatione, & pestilentissimæ sectæ  
Mahomethicæ fabricâ. Hanc se ab ipso Deo  
in cælis didicisse passim jactavit. Ad Orionis  
usque celsitudinem se elevatum fuisse, gloria-  
tus est. Apoplexiâ tactus simulavit colloqui-  
um cum Archangelo Gabriele: Prophetam  
se quoque insignem mentitus est. Columbam  
assuefactam ad legenda grana, ex aure Spiritum  
sanctum esse asseruit, qui, quid agendum  
esset, suggereret. Opera Sergij Monachi &  
Iohannis Antiocheni novam legem, novam-  
vè religionem Iudaicæ & Christianæ ex æquo  
convenientem commentus est, eamque va-  
rijs technis & fraudibus credibile hominibus  
reddidit. Qua de re prolixè Polydo. Vergil. de  
inventione. Hic

Lib: 17. de  
civi: Dei  
cap: 22.

MAHO-  
METVS.

Libro 7.  
cap: 8.

*Astu  
multi-  
plici,  
varijs  
artibus,  
proditio-  
ne &  
fraude.*  
ART A-  
BANVS.  
lib: II. mi-  
hi pag: 160

Hic si commemorarem, quibus caedibus, qua vi, quibus artibus, qua impostura, prodicione, magicis & diabolicis technis imperia, regna & dignitates, olim homines acquisierint, quibus eadem fraudibus & quo altu acquisita defenderint: ultra constitutum modum excresceret oratio. Plenæ sunt historiae ejusmodi exemplis. Vnico ARTABANI exemplo, Diodorus satis superque demonstrat, planè furiosam esse illam hominum principatus & dignitates injustè affectantium libidinem, & insatiabilem æstum. Xerxen, ex Graecia turpi fugâ redeuntem, domique securè regnantem altu circumvenit ARTABANVS: ope Mithridatis Eunuchi in cubiculum noctu admissus, Regem decumbentem & dormientem obruncat. Nec minori altu, facinore perpetrato ad Artarxerxen, Xerxis filium propestat: Patrem à Dario fratre ipsius natu majore, spe regni adipiscendi trucidatum nuncios, rebus suis maturè prospiciat, ne à fratre regno & vitâ priveretur svadet: Regnum ut præoccupet, fratris parricidæ scelus parricidio ulciscatur: Regios stipatores ad serendum

dum auxilium pollicetur. Iuvenis hoc tam tristi nuntio territus & perturbatus, uti videt charissimi patris in proprio sanguine provolutum cadaver, fidem dictis adhibet, furore corripitur, fratrem petit, dormientem inventum quasi somnum fingeret, interficit. Rebus Artabano sic succedentibus, de Artarxerxe quoque occidendo cum suis filijs capit consilium: Deniq; gladium in eum stringit vulnerat, sed non lethaliter. At ille evadens, Artabanum postea insectatur, capit, torturis unà cum filijs discerpit, & regnum Persarum hoc modo adeptum annos 40. tenuit. Hic fuit exitus tanti Principis, qui cum in summo honore quietè potuisset vivere, non contentus loco suo & gloriâ, aliena affectando seipsum unà cum tota domo & stirpe pessundedit.

Quibus artibus PERSEVS fortissimum juvenem, innocentissimumque fratrem Demetrium circumvenerit, quibus ipsius etiam parentis Philippi Macedoniæ Regis animum in necem propriij filij stimulaverit, ut illo demto, ipse regnum post patris mortem solus obtineret: prolixè describit T. Livius.

PERSEVS.

Non procul à sine lib: 10. de. 4: mihi fol: 715. & reliquis.

Caput Sextum

GYGES.  
Caelius lib  
6. cap: 11.  
Antiq:  
lect:

GYGES admirandi anuli beneficio, quo visibilem se modo, modo invisibilem reddere poterat, Lydorum Reginae stuprum intulit, & ipsa connivente Regem dominum interemit, & Lydiae regnum adeptus est. Ita de Lescō quodam scribit Cromerus, quod mira arte principatum apud Polonos affectarit. Lescō enim primo (qui, quod Alex: M. seu ut quidam, Moravios, Poloniam ob negatum tributum, & ob legatos à Polonis excoriatos, cutesque auro & herbis refertas, & ita domum remissas, crudeliter vastantes; insigni stratagemate vicisset, Polonorumque res collapsas restituisset; ex aurifabro Rex Poloniae factus esset) mortuo, & novâ exortâ de principatu inter proceres regni contentione; placuisse proceribus scribit, rem fortunæ committere, & certo constitutoque die, maculosorum equorum cursu, de principatu contendere: quo die Lescus iste procerū vnus, stratis in sabulo, & occultatis ferreis hexagonis sive stylis cœcis, quibus currentium equorum pedes læderentur, & connitentium cursus impediretur, & calcibus equi sui ferreis soleis subductis, quod eo tempore nondum in

Vsu erat: facile primus ad metam, cæteris omnibus ad stylos offendentibus pervenisse. Novo miraculo attonitis omnibus, & quasi divinitus sibi Rex oblatus esset conclamantibus, Lescumque Regem salutantibus; deprehenditur dolus hoc modo. Duo juvenes tenues & obscuri paullò antè in stadio pedestri cursu fortè certârant, joco Principatum inter se pacti: offenderant in styliis, hos investigârant, locum notârant: Alter eorum, ad constitutum diem equitibus procerum è carceribus procurrentibus, procurrit & ipse pedester, cursu obliquo primus post doli fabricatorem, ad metam pervenit: hinc dolus apparet. Lescus in medium protrahitur, convincitur, dânatur, discerpitur: Juvenem illum, qui primus ad metam pervenerat, populus omnis Principem salutat, & commutato nomine, **LESCVM** secundum appellat. Hic evasit in Regem virtutibus omnibus & pietate præstâtem atque charissimum subditis. Et propter insignem fortitudinis, prudentiæ, moderati-  
onis laudem, hoc etiam pietatis exemplum posteris reliquit; quod crassos pannos quibus

Caput Sextum

ante principatum indutus fuerat, assidue sibi in conspectum produci voluit, ne conditionis suæ pristinae oblivisceretur: exemplo Agathoclis Siciliae Regis, qui nunquam absque vasis figulinis, quæ inter aurea miscuit cœnavit, paternæ obscuritatis memor.

*Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem  
Atq; abacum Samio saepe onerasse luto.*

*Quæsitus causam; respondit, Rex ego qui sum,  
Sicania figulo sum genitore satus:*

*Fortunam reverenter habe, quicumq; repente,  
Dirves ab exili progrediêre loco.*

DARIVS.  
SEMI-  
RAMIS.  
lib:1. Eñc:1  
Quam vis  
paulò ali-  
ter Diodo-  
rus lib:2.  
cap: 5.

Ita hinnitu equi sublatis magis DARIVS Persarum Monarcha est factus. Sed nimis ridiculum est, quod de SEMIRAMIDE Sabellicus narrat, quæ Nini Regis Assyriorum concubina primò, mox conjunx & tandem sublato Rege Regina facta est. Ardebat ille captus Semiramidis formâ & lepore. Amor tam vehemens fuit ut Regem penè servum mulieris effecerit. Nihil tam magnum erat, quod illa aut à Rege petere, aut petenti Rex denegare auderet. Itaque cum aliquando teneri se magno cujusdè rei desiderio diceret. & Rege quicquid tandem id esset

id esset proferre iubente: Vnius diei imperium sibi concedi postulat. Risit Rex, concessit, denique edixit: uti omnes statuto die Semiramidi Regio folio infedenti dicto obedi- entes sint; secus qui fecerint, morte plectan- tur. Vbi dies ille illuxit, mulier Regio cultu & diademate ornata in Regio folio assedit: Cingitur magno stipatorum agmine: fit con- cursus ab omnibus, exitum brevissimi hujus Imperij cupidissimis animis expectantibus. Illa primò res leviculas tentandorum animo- rum gratiâ imperat: mox majora. Tandem ubi seriò omnes sibi in omnibus obtempera- re videt, satellitibus jubet ut Regem ipsum ad- ducant, adducitur: ut vinciant, vincitur: in- terficiant, interficitur. *Ita Imperium ex diur- no diuturnum efficitur.* Hæc deinde res maxi- mas gessit, Babylonem cœpit, muris densissi- mis circūduxit, obeliscos ingentes posuit, me- talla invenit, bella ingentia victrix confecit, Iovi templum erexit, & similia multa, quæ à viro vix fortissimo præstari possent, peregit.

Quemadmodum igitur regna & principa- tus summo labore & periculis, nec minori

Caput Sextum

moris  
& do-  
loris.

subinde impietate, injustitia, Tyrannide pro-  
ditione, dolis & artibus acquiruntur: Ita ac-  
quisita saepenumero iisdem artibus, majori  
etiam cura molestia labore & timore conser-  
vantur. Licet enim magna sit Regum &  
principum gloria, Majestas & reverentia, quae  
hominum oculos & animos ita perstringit,  
ut beatam illos vitam agere arbitrentur, supra  
tamen demonstravimus omnem hunc splen-  
dorem, quo nitescunt Reges, merum esse fu-  
cum, & nullum hominum genus majoribus  
difficultatum molestiis, curis & periculis esse  
expositum. Rectè itaque Seneca:

*Quisquamne Regno gaudet? O fallax bonum*

*Quantum malorū fronte tam blanda tegis!*

Moses quoque de immenso hoc imperandi  
onere, cujus commutatione mortem sibi ju-  
cundam fore testatur, valdè patheticam insti-  
tuit querelam, & cum Iova ob impositum si-  
bi jugum exoptulat, *Quare, inquit, hoc MA-*

Num: II.

*LO affecisti servum tuum, & quare non in-*  
*veni gratiam in oculis tuis, quod imposuisti*  
*onus totius populi hujus mihi? An ego conce-*  
*pi totum populum hunc? an ego peperii illum?*  
quod

quod dicis ad me: porta eum in sinu tuo, quem-  
admodum portat nutritius lactantem. Non  
possum ego solus ferre onus totius populi huius.  
Nam grave est, & superat vires meas: Quod  
si eo modo mecum ages, potius me occide, si in-  
veni gratiam in oculis tuis, & ne ultra experi-  
ar malum meum. Quibus profectò verbis  
vividis coloribus & nimis verè depinxit, oculif-  
que omnium subiecit gubernationis onera,  
difficultates & pericula. Et vera dixisse, ipse  
aliquoties re ipsa expertus est: dum singulis  
momentis, ab ingrato populo mortem expe-  
ctat: dum in perpetuò timore versatur, ne  
quando lapidibus obruatur, id quod sæpius  
eos tentasse legimus. Itaque in summo Im-  
perij & Majestatis splendore homo afflictis-  
simus dicitur. Nulla voce humana expri-  
mi potest in quantis curis, difficultatibus  
molestijs & periculis versentur singulis mo-  
mentis, Reges, Principes, Magistratus, & o-  
mnes illi, quibus in quacunq; dignitate con-  
stitutis, Reipub: cura & gubernatio commif-  
sa est. Quid profuit Alexandro M: quid Au-  
gusto? quid Iulio? tot laboribus, tantò san-  
guine

Artar-  
xerxes  
Persarū  
Rex.

Plutarcho  
in vita Ar-  
tarxerxis.

gvine, tot periculis acquisitum Imperium?  
 Quid inde aliud, nisi continuas curas, mole-  
 stias & difficultates, ipsiusque vitæ jacturam  
 lucrati sunt? Quantam calamitatum telam  
 non texuit, quot curas & molestias non devo-  
 ravit, toto imperij sui tempore ARTARXER-  
 XES Persarum Monarcha? cujus paullò antè  
 meminimus. Summo labore pacatis foris  
 rebus omnibus & constituta tandem undi-  
 que pace, sperat deinceps tranquillo senio, &  
 vitâ quietiore se fruiturum. At votis eventus  
 minimè respondit. Mox enim tota domus  
 Regia, dissidijs filiorum, inter se de regni suc-  
 cessione, vivo adhuc patre, dimicantium, ar-  
 det, & turbatur creberrimis factionibus. Quas  
 compositurus infelix Pater Dario primoge-  
 nito ipse Diadema imponit; ratus se hoc mo-  
 do causam dessentionis omnem amputatu-  
 rum: sed tanto majori incendio exinde Regia  
 tota flagravit. Nam Darius ob denegatam  
 Alpasiam vitæ patris insidias struens, vitam  
 vnà cum regno amisit. Detectis enim insidijs,  
 justas parricidij pœnas dedit. Vitæ hic finis fu-  
 it Dario, at nondum finis malorū Artarxerxi.

Tres

Tres filij reliqui novas de regno movent turbas, inde novæ conspirationes, novæque factiones emergunt. Ochus natu minimus, ingenio maximus, acri tamen & violento, de tollendis fratribus Ariaspe & Arsame capit consilium. Ariaspes ob mansuetudinem, candorem & humanitatem populo charus, Rex à Persis flagitabatur. Arsamen juvenem fortissimum pater observabat, utrumque igitur ut submoveret Ochus: dolo & versutiâ mitissimū Ariaspen circumvenire; vi fortissimū Arsamen tollere statuit. Regis itaque cubicularios submisit, qui cœcis suspitionibus de patris malevolentia Ariaspis animum tentarent, & assidue, tum minas aliquas patris afferrent, easque novis criminationibus augerent, tum ficta consilia ejusdem de ipso necando inculcarent; donec juvenis mitiore ingenio præditus, de patris amore, suaque vita desperans, sumto veneno seipsum conficeret. Quo sublato, Ochus subornato Harpate, Arsamen interfici curavit. Pater infelix nullum malorum finem prospiciens, & ob exactam ætatem in mortem præceps, luctu & mœrore ex-

tinctus est anno ætatis nonagesimo quarto.

Totus mundus ejusmodi exempla sup-  
 ditat, quæ ostendunt, quanta cæde & sangui-  
 ne, homines regna & dignitates, non solum ac-  
 quirant, sed acquisitas defendant, & quam æ-  
 grè patiantur, sibi hunc bolum ex faucibus  
 eripi. Nullum autem extat exemplum pa-  
 triæ Tyrannidis in filios ob retinendum Re-  
 gnum, crudelius HERODIS Regis Iudæorum,  
 quo, quia Iosephus totos tres libros comple-  
 vit, nos, ut tædio, inquirendi lectorem suble-  
 vemus, totam illam historiam ad compendiū  
 ductam recitabimus. Ingenti labore Herodes,  
 maximis sumtibus, & multo sanguine regnū  
 acquisiverat. Captā Ierusalem, potitaque  
 Iudæā, Antigonom Regem antecessorem ob  
 pietatem & reliquas virtutes ab omnibus ada-  
 matum, captum ad Antonium Aegypti Re-  
 gem mittit, à quo ipsius instinctu securi per-  
 cussus est. Idque eo consilio fecit, ut memori-  
 am Antigoni ignominiosa morte obliteraret  
 in animis Iudæorum; qui ne tormentis qui-  
 dem adigi poterant, ut Herodem Regem ap-  
 pellarent; tam obstinato amore, & reverentiā  
 pri-

Hero-  
des.

Antiquit:  
lib: 15. 16. 17

Lib: 15. ca: 1

pristinum Regem suum prosequerentur. Nec  
satiatus optimi Regis interitu Herodes, qua-  
draginta quinque optimatum qui cum Anti-  
gono fecerant, interfecit. Has cædes, quoti-  
diè novis auxit: quosque comperit Antigo-  
no favere absque omni discrimine è medio  
sustulit: tanto studio, ut appositis ad portam  
custodibus cadavera scrutaretur, ne quis pro  
mortuo eveheretur vivus. Nec tamen tantâ  
Tyrannide confirmato imperio securus erat.  
In continuo metu versabatur, ne quis, Regiâ  
de stirpe reliquus, aliquando jus suum repe-  
ret, & ipsi negotium de regno faceretur. O-  
mnem igitur Regiam familiam funditè ex-  
stirpare statuens: Aristobulum heroicâ in-  
dole & formâ adolescentem, paulò ante abs  
se pontificem creatum, animadverso populi  
in illum favore, ex insidijs vulpes crudelis su-  
stulit; subornatis amicis qui eum in flumine  
lotum, quasi per lusum, mergerent & suffoca-  
rent. Supererat Hircanus. Hic apud Baby-  
lonios Iudæos, quorum tum temporis multa  
millia (ex captivitate reliqua) Babylonem in-  
colebant, in summo honore habitus, ut Rex

Caput Sextum

& summus Pontifex colebatur: Hunc multis blandimentis ad se pertractum, & primò honorificè habitum, post verò, quasi sibi infidiatus fuerit, senem octoginta annorum venerandum supplicio affecit. Tum verò ausus fuit, & Cleopatrà capiti, quam à se alieno esse animo suspicabatur, infidias struere. Nec à dilectissima præ omnibus conjuge Mariamne, neque ab ipsius matre Alexandria abstinuit; sed ob cœcā suspicionem, indignissimo eas supplicio affecit. Tum ne proprijs quidem filijs pepercit. Cum enim Antipater minor natu filius, regni cupiditate arderet, suisque conatibus neminem obstare arbitraretur, nisi duos fratres majores Alexandrum & Aristobulum, quos è medio tollendos esse, censuit: Ope & auxilio Salomes (quæ sibi ab his, ne quando perfidiæ suæ in matrem eorum Mariamnem, quam suis calumnijs è medio sustulerat, admixtæ, pœnas datura esset, plurimum metuebat) magis magisque patris animum à fratribus abalienare studuit, pravis fictisque calumnijs, iisque novis indies cumulando, hûc patrem perpulit, ut innocenti-

Cap: 5.

Cap: 11.

tissimi

tissimos juvenes, quos Romæ à Julio Cæsare in omni disciplina militari institui curaverat, & erga quos summâ usus hæctenus fuerat indulgentiâ; Vincente calumniâ strangulari jussit: At patefactâ & compertâ Antipatris, qui omnis hujus domesticæ calamitatis autor fuerat, malitiâ & fraude, quibus Mariamnem & fratres optimos oppresserat: & detectis insidijs, quas ipsi quoque patri, ut voti compos fieret, fabricaverat; accusatum apud Cæsarem, eoque consentiente, merito supplicio, morti jam propinquus, affecit. Ita Herodes Regnum tantis laboribus tantoque sanguine acquisitum: Tyrannide autem plus quam Sathanicâ, qua ob meras & putidas suspitiones, ut latro crudelissimus in dilectissimas conjuges & liberos sæviit, hæctenus obtentum ad posteros suos, propagare haud potuit. Et insigne documentum reliquit quo perspicuum fit omnibus: quanto in periculo & perpetuo metu amittendæ Tyrannidis versentur, vi & injusta crudelitate, qui regna & principatus invadunt. Claro & illustri quoque quasi speculo hîc videmus, in quibus periculis &

Lib: 16.  
cap: 6.7.8.

Lib: 17.  
cap: 7.

perpetuis difficultatibus, versentur omnes,  
 qui ævum suum in aulis traducere coguntur.  
*Aulica enim vita nihil nisi splendida est mi-  
 seria.*

Et rectè Seneca.

O Regnorum magnis fallax  
 Fortuna bonis, præcipiti  
 Dubioq; nimis excelsa locas,  
 Nunquam placida scepra quietem  
 Certum ve sui tenuere diem.

Constat igitur, nec veram felicitatem, nec ve-  
 rum & perfectum gaudium Regnorum am-  
 bitu contineri, virtus enim & summa poten-  
 tia non coënt, ait Seneca. Et Cicero: Complu-  
 res se scelere contaminant imperij cupiditate.

III.

Conferuntur Regnum & Principatus stabi-  
 lem & permanentem felicitatem.

**C**VM nullum in Mundo Imperium,  
 nullum Regnum, nullus Principatus  
 durabilis, constans & perpetuus sit: nulla  
 quoque ex Imperijs & Regnis stabilis & per-  
 ennis felicitas, nullum constans gaudium.

Omnia

1.  
 Impe-  
 ria con-  
 cidunt.

Omnia in Mundo concidunt, nec quicquam ita omnibus numeris perfectum est, ut ab interitu vindicari possit. Homo rerum omnium arbiter & Dominus, corruptioni subiectus est; quanto magis imperia, quæ ab hominibus constituuntur: Ac licet hæc ipsis sint hominibus suisque conditoribus tantò feliciora, quanto durabiliora: Habent tamen regna & imperia suas fatales periodos: Habent constitutos à Deo sibi que præscriptos initij, incrementi & durationis terminos. Crescunt ex parvis initijs, donec ad ænèip perveniant ac rursus decrescant; & tandem ut fumus à vento dissipatus, transeunt & evanescunt.

Prima Monarchia Assyriorum à Nymroth condita cœpit exiguis initijs anno Mundi (secundum usitatam apud nos numerandi rationem) 1786. A diluvio, post conditam Babel anno 130, constititque cæteris diutius, annos nempe 1648, quibus elapsis concidit.

Secunda Monarchia Persarum & Medorum à Cyro constituta anno Mundi 3434. post occupatam Babylonem, & interfecto ultimo Assyriorum Rege Balthazaro, qui Herodo-

Dani:9.

Monar-  
chiarum  
fatales  
periodi.

rodoto est Labynithus, duravit annos 200, & interijt.

Tertia Græcorum est, ab Alexandro M confecta, anno Mundi 3634, stetitque annos 286, & in fumos abijt.

Quarta, quæ Romanorum dicitur, à Iulio Cæsare & Augusto, initium sumsit anno 3920 & annos 1640 ad hæc nostra tempora duravit.

Habent & alia reliqua regna ducatus & vrbes terminum à Deo sibi constitutum. Et ostendunt omnium temporum Chronologia, rarò constitisse aliquod Regnum & Imperium, absque insigni aliqua mutatione, ultra 500 annos, imò singulis quinquaginta annis aliquam insignem mutationem Respublicas sentire, animadversum est. Et videmus quasdam cadere, quasdam rursus emergere, & interitum unius imperij aut civitatis esse alterius incrementum.

Ipsi Imperatores Reges & Principes minime securi & tuti esse possunt. Nullum illis tam firmum præsidium in regionibus & civitatibus suis, nullum tam benè munitum propugna-

De pe-  
riodis  
vide  
præfati-  
onem  
Chro:  
Philip:

2.  
Reges  
nō sunt  
tuti à  
suis.

pugnaculum, nullum tanti robur exercitus, quod possit eos tueri contra impendentium malorum necessitatem, & divinæ iræ vindictam. Non tuti fuerunt reges quidam & principes à proprijs conjugibus, liberis, amicis, satellitibus, nec ab illis ipsis, quorum fidei se maximè commiserant. Ab his enim sæpenu-merò foedissimè proditi sunt, perdit, trucidati, & à fortiore superati; qui *Diceret hæc mea sunt veteres migrate coloni.* Verè itaque Salomon regum post homines natos sapientissimus: *Omnia tempus habent, inquit, & suis spatijs transeunt universa sub sole.*

Et cap: 4 conqueritur, sæpè usu venire, ut de carcere catenisq; interdum quis egrediatur ad regnum; ceterum natus ad regnum inopiâ consumatur. Nec desunt hujus rei exempla, imò nihil usitatus inter reges & principes, nihil magis in omnibus historijs decantatum.

ADONIBESECK septuaginta tenuit reges captivos, qui amputatis manuum atque pedum summitatibus, collegerunt reliquias ciborum sub mensâ ejus: postea rursus captus à Iudâ duce Israëlitarum, idem supplici-

Ecclesiæ  
cap: 7.

3.  
Pena  
talionis  
multatur.

Adoni-  
beseck.

Iudi: 1. ca:

Regu-  
lus.  
Lib: 2.  
Prof: 6.  
Conf: Phi.  
Basri-  
des.

cum tulit. *Sicuti fecit, idem retribuit illi Do-  
minus.* Et Boëtius de REGVLO commemo-  
rat, quod Carthaginenses bello captos in vin-  
cula conijcere solitus sit; sed mox ipse victo-  
rum catenis manus ligandas præbuerit: Et  
BVSIRIDEM Aegypti regem hospites adventan-  
tes mactare, Iovi que sacrificare solitum; ab  
Hercule hospite mactatum fuisse.

Et supra fecimus mentionem LEONTII,  
qui Iustinianum Imperatorem captum & na-  
so mutilatum, in exilium miserat. Hunc Ti-  
berius iterum naso mutilatum, in carcerem  
conjecit. Tiberium rursus Iustinianus, ab ex-  
ule Imperator, regno & vitâ privavit. Leonti-  
um in carcere inventum multis tormentis  
confecit: Iustinianum rursus exul Philippicus,  
quem ille Chersonæ ad motis castris obsidio-  
ne cinctum quærebat occidere; mutatâ fortu-  
nâ, occidit: Philippicum Anastasius.

Hæc exempla veritatem dicti Salomonis  
comprobant, sapenumerò fieri, *ut ad regnum  
natus, de solio deturbetur, alius ex carcere ad  
regnum evehatur.*

Alioquin & hoc verum est, *Regna à gente  
in gen-*

in gentem transferri propter injustitiam, injuriam, contumeliam & dolum. Id cum NABUCHDONOSAR non intelligeret, per somnium à Deo eruditur, inque se ipso expertus est; cum de solio, de regno, & omnium hominum consortio deturbatus, cum feris in sylvis septem annos miserè vitam ageret. Et licet APRYES Aegypti Rex superbè jactaret, regnum suum tantis viribus munitum esse, ut nulla neque Deorum neque hominum vi everti possit: paullò post tamen regnum unà cum vitâ amisit, cum ab Amase servo strangularetur. Et quamvis DIONYSIVS Syracusanus gloriari solitus sit: regnum se filio relicturnum, adamantinis catenis colligatum: tamen hæ catenæ facili momento ruptæ sunt, & filius regno pulsus panem emendicare coactus fuit.

Nam cum edelabuntur reges & principes, ut supremum illum regem non agnoscant dominum, nec colla ejus imperio subdere velint, filiumq; exoculari recusent: imò respuant ejus imperium, contemnant verbum, persequantur Ecclesiam & fideles verbi præ-

4.  
Regna  
à gente  
in gente  
Syr: 10.  
Dani: 24.  
Nabuch  
donosar.

Apryes.

Dionysius.

Psal: 22

Dani: 2. 7.  
Syr: 10.

Seneca.

cones, tyrannidem exerceant in subditos; sequi necesse est, quod sacrae literae futurum praedixerunt, ut regna transferantur, mutantur in visa imperia, nec diu retineantur. Non enim Dionysij catenis regna & imperia felices sunt & subsistunt, sed religionis integritate & populi benevolentia. Quae catenae si conjungantur & colligentur, firmissimum conservandorum regnorum & rerum publicarum efficiunt vinculum, nec quicquam de felici rerum publicae statu & incolumitate est pertimescendum. Rursus vero ubi religio periclitatur, ubi timor Dei exulat ex animis regum & populi, stabile diu imperium, & status rerum publicae incolumis manere nequit. Religio enim vinculum quoddam est, quo firmissimo quasi nexu colligantur, & constringuntur mutuo amore animi magistratus & subditorum, ut isti recte imperando, illi recte obtemperando sic animis coalescant, ut divelli nunquam possint. Non enim potest non amare magistratum populus, quem videt perpetua sui cura & solitudine teneri.

Et ut tandem receptui canamus & hunc  
locum

locum concludamus, patet ex his omnibus, quæ hactenus dicta sunt: *Imperia, regna, principatus & dignitates, nihil facere ad vitam beatam, nec gaudium & tranquillitatem veram, perfectam, stabilem & sinceram animorum efficere*: neque unquam eam exhibere regibus beatitatem, quam splendore suo & maiestate primâ facie pollicentur. Proindè abjectâ hâc dominandi libidine, quisque suo loco & ordine sit contentus, & in id potissimum enitatur, *ut Dominus sui ipsius efficiatur*, ut sibi ipsi imperet, affectibus suis dominetur, & æstuantes animi motus compescat. Hæc enim optima imperandi & dominandi ratio est, superans fortissimos duces & audacissimos athletas, qui inimicum prosternere, hostium agmina propulsare, bellicosissimos populos vincere, & munitissimas arces evertere; seiplos aut vincere, furentes animi motus compescere, & affectus cohibere turbulentos minimè potuerunt. Hæc vincendi ratio omnes victorias Simsonis, Hannibalis, Scipionis, Alexandri, Casaris vincit, longoque post se intervallo relinquit. *Melior est*, inquit

Caput Septimum

Prov: 16.

Auso-  
nius.

Clandi:

Salomon, patiens viro forti, & qui domina-  
tur animo suo, expugnatore urbium.

Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.

Tunc omnia jura tenebis

Cum poteris rex esse tui

Et Boëtius noster.

Lib: 1.

Conf: phi:

Met: 5.

Qui se volet esse potentem

Animos domet ille feroces,

Nec ficta libidine colla

Fædis submittat habenis.

Etenim licet Indica longè

Tellus tua jura tremiscat

Et seruiat ultima Thule:

Tamen atras pellerè curas

Misera sç fugare querelas

Non posse, potentia non est.



Caput

CAPVT SEPTIMVM.

*SITNE IN SPLENDIDIS MA-  
gnificeq; exstructis ædificijs vita beata,  
verum, perfectum & stabi-  
le gaudium.*

**C**ircumferenti oculos in uni-  
versum hoc mundi theatrum, ap-  
parebit & aliud hominum genus,  
quod nulla re magis, quam splendidis & ma-  
gnificè exstructis ædificijs delectatur, nec quic-  
quam magis in votis habet, quam ut ædifican-  
di sibi magnificas ædes concessâ copiâ, perpe-  
tuam nominis memoriam quærat. Cujus rei  
exemplum nobis præbent sacræ literæ in Na-  
buchdonosare Assyriorum Monarchâ, de  
quo & ex Beroso Iosephus recitat, quòd non  
contentus fuerit paternâ regiâ à Semiramide  
exstructâ; sed aliam multò ampliorem splen-  
didiorémque ædificaverit, cujus ornatum &  
magnificentiam, dicit nimis longum fore, si  
exequeretur. Hoc solummodò refert, hanc  
adèò superbam & supra fidem magnificam  
stru-

*Nabuch  
donosar*

lib: 1. con-  
tra Appio:  
mihi fol:  
87.

Caput Septimum

structuram quindecim dierum spatio absolutam fuisse. Quod si verum est, liquet, ingentem hominum multitudinem ad eam edificandam, adhibitam fuisse. Excitasse quoque in ea lapideas moles montibus aspectu persimiles, omnisque generis arboribus confitas.

Non est animus singula quæ historijs sunt decantata ædificia, magnificentiamque singulari celebrata, huc referre. Salomonis certe regiam admiramur, qui cum septem annis templum Ierosolymorum ædificasset, tredecim annos in ædificandâ regiâ consumsit. De quâ cum multa Iosephus, tum hæc quoque verba scripta reliquit: Difficile est enumerare amplitudinē & varietatem aularum tam majorum, quam mediocrium, quæ sub terra latebant, quæque in aërem elegantissimè attollebantur. In summa, totum ædificium è marmore candido, & cedro & auro atque argento constabat: dispositis per parietes & lacvearia varijs lapillis auro inclusis: quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat. De ACHABO sacræ literæ referunt, quòd domum sibi condiderit eburneam, pro quâ voce Hieronymus testatur do-

Salomonis regia.

Lib: 8. antiq: cap. 5.

Achabæ rænaculum.

tur domum dētis in sancta lingua legi. Hic in tantis vixit delitijs, vt non nisi in domo ex dentibus Elephantinis, siue ebore exstructâ habitârit. Et de Cyro historiæ restantur quod domum splendidissimam extruxerit; il ligatis auro lapidibus, mensis & subsellijs ex solido auro & argento fabrefactis, & distin cto lacunari gemmis preciosissimis, ut cœli ornamentum referret. Sed omnem admira tionem superant NERONIS delitiæ, de quo Svetonius refert, quod domum ædificaverit urbi amplitudine non absimilem, quam post incendium, quo consumata erat, restitutam, auream, appellaverit. In cuius vestibulo colos sus CXX pedum ipsius effigie: Porticus tri plices milliarias habuit. In medio stagnum maris instar, ædificijs undiq; circumceptum. Rura continuit cum arvis, vinetis, pascuis, syl vis, pecudibus, feris. In cæteris partibus, in quit, cuncta auro lita, distincta gemmis vni onumque conchis erāt. Cœnationes laquea tæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores é fi stulis, & ungenta desuper spargerentur. Præci pua cœnationum rotunda, quæ perpetuò die-

M m bus ac

Cyri  
domus

Nero-  
nis do-  
mus.

In Nero:  
cap: II.

Caput Septimum

Ciceronis  
domus.

Absolo-  
mus.

2. Reg: 18.

bus ac noctibus vice mundi circumageretur. Parum est quod de Cicerone refert Salustius delicias ejus detestatus, non minoris quinquaginta millibus auri habitasse.

Et quemadmodum Absolomus Davidis filius, ut pulchritudinis suæ, qua omnes ejus ætatis homines superavit, monumentum extaret perpetuum; columnam marmoream, in valle regia propè Ierusalem urbem, ingenti proceritate statuit: Ita hodiè Reges & Principes, alijq; multi opibus instructi & dignitate conspicui, dum vident, nihil ad beatè vivendum sibi deesse, nisi immortalè nominis gloriam: hanc ut consequantur, nomenque suum à situ & pulvere, seu æternâ oblivione vindicent; incredibilem pecuniæ vim, ædificandis celeberrimis urbibus, magnificentissimis arcibus, conspicuis palatijs, magnificis Templis & Monasterijs, amœnissimis hortis & viretis: exstruendis turribus altissimis, theatris & circis splendidissimis, aqueductibus artificiosissimis, impendunt: Ingens hominum cura circa has vanitates. Pontibus maria, longo tractu ab invicem distantia

tia, maximis impendijs connectuntur: Terræ partes abscinduntur: Campi montibus aggere æquantur: montium juga vallibus planantur: Rupes durissimi silicis excinduntur: nunc mare continenti cedere, nunc continens mare fugere cogitur, adeo que tota rerum natura invertitur, hominum ambitiosorum studio, eo que vano subinde atque irritò: & quos montes quasque altissimas rupes, coercendo fluminum impetu, frangendisque maris fluctibus natura constituit; loco moventur, abscinduntur, evehuntur: Montibus aquas super inducimus: mari infesto atque profundo, montes depulsis undis ingerimus, & ubi undosum mare paulò antè spectavimus, nunc ingentia Palatia superstructa cernimus; nullam aliã de causã, nisi ut cum naturã rerum contendere videamur; quasi illi bellum inducturi. Ita olim Xerxes montem Athon in Istmo à continente unã cum quinque urbibus abscidit.

Ita CYRVS Ginden qui prius unico alveo fluebat, in trecentos & sexaginta rivulos divisit. Eodem modo Semiramis, iter ad Iaricum montem Mediæ longissimum, non qui-

M m 2

dem

Xerxes.

Herod:

CYRVS.

Herodo:

lib: 1 fo: 40

Semira-

mis.

Caput Septimum

Diodo:  
lib:2.cap:5

dem locorum distantia, sed montium inter-  
jacentium præcipitijs, & convallibus plurimis;  
perruptis montibus, abscissis anfractibus, lo-  
cisque concavis in planum diductis, maximo  
labore & sumtu, ad nominis monumentum  
immortale, brevissimum effecit. Eadem in  
Ecbatana, cum aqua vrbs careret, ex lacu eam  
stadijs duodecim, perforato Oronte monte  
aspero & accessu difficili, altitudine viginti  
quinque stadiorum, in urbem diduxit. Ibi-  
dem.

Alex:  
M.

In Corinth:

An non quamplurimi fuerunt, qui Isthmum  
Peloponnesiacum conati sunt perfodere, duo-  
que maria Ionium & Aegæum conjungere;  
irrito tamen conatu. Vnde proverbio *Isthmum*  
*perfodere* dicebantur, qui magnas res vano  
successu molirentur. In quorum numero  
& Alexand. M. est, qui non contentus adver-  
sus homines bella gerere, nisi etiam naturæ ipsi  
vim inferret. Et malè quidem illum habuit,  
quod cum omnia ex animi sententia caderent,  
verum Mimantem fodere non potuerit, ut  
testatur Pausanias: Tyrum tamen conti-  
nenti copulavit, & Clazomenas Ionix urbem  
ducto

ducto à continenti solo aggere, in peninsula  
formam redegit, ut idem Pausanias autor est.  
& commemorat Herodotus GNIDIOS Ist-  
mum, qva angustissimo est spatio conatos  
perfodere; verum ictos scopulos in fodienti-  
um oculos resilijsse, & Delphico oraculo ab  
instituto fuisse revocatos, his verbis: *si Iovi*  
*id visum, locasset in solo.*

Libet hîc & SCILLAE & CHARIBDIS fa-  
cere mentionem, de quibus apud Historio-  
graphos non parca fit mentio, quorum hæc  
apud Messenam, illa apud Rhegium promô-  
toria navigantibus investa fuit: scopuli qui-  
dam ingentes causam præbuerunt vertigini.  
Sed Hercules adhibitis quibusdam machinis  
scopulos sustulit, locūq; expurgavit, ut in poste-  
rum neq; Scyllæ neq; Charibdis vestigium ul-  
lum apparuerit. Quæ res in fabulâ exijt. Cum  
enim scopuli formam muliebrem procul in-  
tuentibus exhiberent: Poëtæ finxerunt, ma-  
rina hæc monstra esse ab Hercule interempta.  
Idem cum in Calidonorum gratiam, fluvi-  
um Acheloum in alium cursum diverteret,  
plurimosque eorū agros fertiles ex aquæ iriri-  
gatone

In Achai-  
cis mihi  
fol: 471.  
Sicuti &  
Pausanias  
in Corin-  
thi.

SCILLA  
& CHA-  
RIBDIS.

Hercu-  
les.

Amaltheæ  
cornu.

Caput Septimum

Diodo:  
lib:4.ca:2.  
fol:mihi 117

Columnæ  
Herculis.

NITOCRE  
CRIS.

gatione redderet; locū fabulæ dedit, quâ Poë-  
tæ fingunt, cum Archiloo specie Tauri Her-  
culem certâsse, & in primo congressu ei alte-  
rum cornu fregisse: idq; Aetolis dono dedisse,  
quod Amaltheæ cornu vocatum; fructuum  
omnium, uvarum, malorum, aliorumque  
ejusmodi pomorum copiâ repletum fuerit.  
Cupiens autem Hercules præ reliquis labori-  
bus aliquid præstare, quod æternum nominis  
sui monumētum esset; mare mediterraneum  
cum Oceano conjunxit; perfossis & everlis al-  
tissimis montibus, quibus distinguebantur, &  
positis in eo Chersoneso, duabus columnis,  
quæ sunt montes ab eo congesti in utroque  
continentis latere. Verum maximè memo-  
rabile est, quod scribit Herodotus lib: 1. de  
NITOCRE reginâ Assyriorum quinque ata-  
tibus Semiramide posteriore: quæ metuens  
imperium Medorum, & quasi præfagiens Me-  
dos Imperio Assyriorum seu Babyloniorum  
aliquandò potituros, quibus potuit rationi-  
bus sese præmunivit: Euphratem qui recto  
cursu Babylonem medius secat, tortuosum  
reddidit, fossis superius depressis; adeò ut quæ-  
dam

dam non procul à Babylone pagum, Arderica nomine, ter interfluat; ita ut qui hoc fluvio tendunt Babylonem ter ad hunc eundem pagum applicent, idque triduo.

Sed ne singula exequamur, singulorum loco, septem mundi quæ vocant miracula, seu præclarissima opera contemplabimur.

PRIMUM

Primum Mundi mirandum opus idemque antiquissimum MURI recensentur BABYLONICI, seu potius tota civitas, non minus quam muri amplitudine & structurarum magnificentiam miranda, à Semiramide exstructa, ut testatur tota antiquitas, licet Iosephus contra Appionem aliter sentiat. Nino enim sedecim annis universam Asiã potitã, & loco Trophæi Niniven condente urbem, quæ cccc stadia in circuitu habuit, & mille quingentas turres ambitu continuit, mœnia centum pedum altitudine, latitudine verò tantã, ut murorum fastigia ternis essent plaustris pervia; Semiramis virum à se interfectum, uti supra diximus, cupiens rerum gestarum magnitudine superare, aliam urbem in regione Baby-

1.  
Babylō  
seu Muri  
Babylonicis.

Lib: 1.

Caput septimum

lib: 6. Hist:  
cap: 26  
Lib: 1. fol:  
mibi; 7.

lib: 1. con-  
tra Appio-  
nem.  
NABVCH-  
DONO-  
SAR.

Babyloniæ, quæ post Babylon vocata est, & ipsa condidit. Quæ, ut Plinius scribit, ambitu suo continuit sexaginta millia passuum: Herodotus singula latera (fuit enim quadrata) fuisse stadiorum centenûm vicensimûm, in summa 80. Diodorus verò scribit stadia continuisse 365 in ambitu. Muri Diodoro, ex Ctesia Gnidio, vetustissimo autore, incredibilis altitudinis 365 pedum, frequentibus turribus & magnis: Latitudinis ad stuporem tantæ, ut sex simul curribus unâ euntibus apti fuerit: & Herodoto autore, centum portis simul cum cardinibus æneis pervij: Vno tamen anno hoc totum opus trecentis hominum millibus confectum; urgente Semiramide, tantâque prudentiâ opus dirigente; ut cum fuerint tot stadia in circuitu, quot anni dies, tantum adhibuit operariorum numerum, quantum uni stadio singulis diebus perficiendo sufficeret. Addit Iosephus ex Beroso NABVCHDONOSAREM M. audita patris Nabulassar's morte, cum ex Aegypto & Phœniciâ, quò ad compescendos motus à patre missus fuerat, unâ cum populo Iudaico captivo Ba-

vo Babylonem reversus & Imperio potitus  
esset, sex alijs Babylonem muris circumde-  
diffe. Mirus fuit hujus urbis ornatus: ma-  
gna rerum omnium affluentia: Euphrates,  
in utraq; ripa interceptus muro trecento-  
rum sexaginta stadiorum, pari moenium vr-  
bis altitudine & latitudine, medius urbem se-  
cuit. Qui dum ad meridiem labitur, quâ  
parte angustior est, nempe stadiorum quinq;  
Ponte junctus est testudineo, triginta pedum  
latitudine; columnis pedibus invicem duo-  
denis distantibus, summâ arte in profundo  
jactis, lapidibusque uncis ferreis, immixto  
juncturis plumbo liquefacto junctis, & præ-  
positis ponti angulis robustissimis, qui im-  
petum fluminis & vim aquæ reprimerent.  
Ab utraque parte orientem & occidentem  
versus, Regias habuit duas, tanquam urbis  
propugnacula, magnâ curâ constructa. Quæ  
erat excellentior Occidentalis, fuit tribus  
muris in circuitu cincta: Quorum primus  
stadiorum 60 erat in ambitu: alter circuitus  
40 stadiorum, varijs exornatus animalium  
& venationum sculpturis: tertius & interior,

*Euphra-  
tes.*

*Pons.*

*Regia.*

N n

qui

Caput Septimum

qui arcem continuit, 30 stadiorum. His ad-  
didisse Nabuchdonolarem Iosephus scribit,  
& tertiam regiam, ceteris multò magnificen-  
tiorè amphiorèmq̃ue, de quâ suprà.

lib: 10. An-  
tiqui: cap:  
ult:

Turris  
Danie-  
lis.

Idem de Daniele prophetâ scribit, quod  
ereptus ex lacu leonum, & cum apud Regem,  
tam apud universum populum, omnesque  
circum circa nationes, hoc miraculo, in signi-  
que sapientiâ & virtute illustrissimus factus;  
ad perpetuum nominis sui monumentum in  
Ecbaranis Medię, ubi Babylon est turrim ædi-  
ficaverit, opus & pulcherrimum & admira-  
tione dignissimum; tum ob insignem speci-  
em recentissimæ structuræ, quam spectanti-  
bus præbuit, ac si eâ ipsâ die fuisset absoluta;  
tum etiam ob integritatem, quæ præter alia-  
rum structurarum rationem, quæ æquæ atque  
homines vetustatem sentiunt, ac in se conci-  
dunt & corrumpuntur; illæsa omninò tanto  
tempore & inviolata permanserit.

Hortus  
pensilis.

Hortû præterea habuisse pensilè super Euphra-  
tem, tantę magnitudinis ut singula latera qua-  
tuor jugeribus extenderentur. Testudines ex  
profûdo Euphratis, & alias supra alias positas,

pavi

pavimentum horti continuisse, cui tam profunda humus ingesta, ut consistat in ea arbores, ad tantam proceritatem excreverint, quo pleræque octo cubitorum crassitie, instar sylvæ cujusdam, jucundissimam aspicientibus spectiem præbuerint. Intra murum civitatem intus cingentem & ædificia, pomerium duorum jugerum: Aedificia ut plurimum lapideæ testudines fuere, eæque aliæ alijs, & maximæ domus maximis impositæ domibus, ternis quaternisque contignationibus. Tanta urbis fuit vastitas, ut, testante Aristotele & Cælio, cum aliquandò ab hostibus capta fuerit: tertio demum die id persenserint, qui ultimam urbis partem incolere. Præcipuum verò opus in ea, Iovis Beli Templum à Semiramide, ut putant Historici in medio urbis ædificatum formâ quadratâ, cujus singula latera fuerint duorum stadiorum, quæ efficiunt quartam partem miliaris ejus, quod mille passus continet, seu 5000 pedes. In cujus medio turris solida, crassitudine simul & altitudine vnius stadij: huic septem aliæ ejusdem altitudinis super impositæ, verum non ejus

*Pomerium.  
Ædificia.  
Magnitudo.*

*Templum  
Herodotus  
lib: 1.*

*Turris.*

Caput Septimum

dem spissitudinis: ita ut altitudo totius fuerit unius miliarij: Gradus & Sellæ additæ extrinsecus, in quibus ascendentibus licuit conquiescere: In summitate sacellum ædificavit, in quo tres ingentes ex auro statuas, Iovis, Junonis & Opis collocârat, pedum quadraginta altas: Opis tamen in aurea sella resedit, ad cujus genua duo leones & serpentes ingenti magnitudine procubuêre: Mensa ante hos posita aurea, pedum quadraginta longitudinis, latitudinis duodecim: Huic imposita fuere duo carchesia seu Regia pocula, & totidem thuribula, antequam mensam crateres tres omnes ex auro solido, quorum unus Iovi dicatus, pependit talenta Babylonica id est, magna, mille ducenta. Univerſa verò, in unam summam redacta, talenta babylonica 5340, quæ conficiunt, nostra computatione, vndecies centies, & octies centena, triginta octo millia aureorum, quæ sunt circiter 1180 tonnæ auri; haud exigua præda Perſarum postmodò Regum.

ECBA.  
TANA.

Regiam Babylonicam in omnibus historijs nullam legimus magnificentiam superasse, nisi

nisi illam quam Herodotus putat à DEIOCE  
in Media ædificatam, mœnibus amplis simul  
& validissimis, quæ ECBATANA appellantur.  
Murus septies circumactus arcem cinxit, in  
qua Thesauri Regij erant: Ita tamen ut cir-  
cuitus unus altero esset gradatim sublimior,  
& pari quidem murorum in se altitudine, loci  
tamen beneficio, qui instar collis paulatim se-  
se erigebat, solis pinnis prominere: Hæ suis  
distinctæ coloribus jucundissimam aspicien-  
tibus præbuere spetiem. Nam primi ambi-  
tus pinnæ, colore erant albicante, secundi ni-  
gro, tertij purpureo, quarti cæsius, quinti san-  
daracino, sexti argenteo, septimi pinnæ auro  
fulgebant.

SECUNDVM.

Secundum orbis terræ celebratum mira-  
culum, Templum fuit Dianæ Ephesinum, cu-  
jus quoq; D. Lucas in actis mentionem facit;  
vociferantibus Ephesinis adversus D. Paulum  
Apostolum *Magna est Diana Ephesiorum.*  
Templum hoc ducentis viginti annis à tota  
Asiâ exstructū esse memoriæ prodidit Plinius:  
Quanquam alibi scribat, quod totâ Asiâ ex-

lib: 10.

2.

Templū  
Ephesi-  
nū Di-  
ana.

Astor: 19.

Plinius lib

36. cap: 14.

Lib: 16.

cap: 40.

struente, quadringentis annis sit peractum, nisi vitio librariorum, pro quadraginta quadringentis positum sit. In solo palatris fundamenta tantæ molis jacta, ne scilicet terræ motus sentirent: sed ut etiam consisterent, confusi mixtiq̄ue cum lana carbones substrati: Surrexisse ædificium ad ingentem altitudinem: longitudine fuisse pedum quadringentorum viginti quinque, latitudinem ducentorum viginti. Columnæ in eo centum & viginti septem, singulæ à singulis Regibus extractæ, summâ arte cælata, altitudine pedum sexaginta: tecta ex cedrinis trabibus: Valvæ è cupresso. Materia omnis novæ similis, cum 400 jam annos durasset tempore Plinij. Illud Herostratus Ephesius Idibus sextilis incendit, eo die quo Alexander M. natus est. Sanciêre Ephesij, propositis gravissimis pœnis, ne quis impostero incendio nominaret, ut ejus memoriam nominis oblitterarent, qui scelertissimo facinore, quia virtute non poterat, perpetuitatem nominis quærebat.

*TERTIUM.*

Tertium orbis celebratum opus (licet alij  
alium

alium ordinē obseruent) PYRAMIDES sunt Aegyptiacæ, vastitate ingentes, solidæ & in cacumen exeuntes. Maxima CHEOPIS Aegypti Regis, mole quadrata, cuius singulas frontes scribit Herodotus, fuisse octogenūm iugerum. Iugerum autem est centenūm vicenūm pedum, tam in longitudine quam in latitudine, sive quantum soli par boum semel arare potest. Ingens profectò spatium. Plinius & Theodorus affirmant, trecenta & sexaginta hominum millia ad hoc opus deputata fuisse, perfecisseque annis viginti, ex saxis durissimis æternūmque permansuris, dolatis tamen artificiosissimè, licet difficilè tractatu, & firmissimè coagmentatis, quorum nullum fuisse ait minus triginta pedum: ex Arabicis montibus excisa, & terra longo admodum itinere usque ad Nilum protracta, ibique navigijs imposita, & ad montem Africum vecta: atq; ibidem in terra undiq; arenosa exstructā: ubi postea nulla neque aggeris vestigia, neq; cælorum lapidum ramenta apparuerunt, tanquam ab ipsis Dijs tanta moles congesta esset: In ea exstruenda, pecuniam pro apio, cæpis & al-

3.  
PYRAMIDES.  
Plini: lib:  
36. cap: 12.  
lib: 2. pag:  
mihī 71.

& alio duntaxat expositam, ad mille & sexcenta talenta excessisse, quæ efficiunt nonagies centena & sexaginta millia coronatorum; Herodotus literis Aegyptiacis molei ascriptum esse tradit. In fundo tumulum esse, cui moles hæc tanta imposita sit, huic per fossam Nilum intromissum fuisse. Quartus à Cheope Rex Aegypti ASICHIS cupiens antecessores rerum gestarum gloriâ antecellere, lateritiam construxit Pyramidem, cujus lateri hæc verba inscripsisse testatur Herodotus. NEMECOETERIS PYRAMIDIBVS COMPARES, QUÆ TANTVM MILLIS PRÆCELLO, QVANTVM IVPITER COETERIS DIIS. NAM FVNDVM LACVS CONTO VERBERANTES, QVOD LVTI CONTO ADHÆRESCEBAT, ID COLLIGENTES, ME COMPOSVERVNT, ET IN TALEM MENSVRAM REDEGERVNT.

### DE LABYRINTHIS.

Pyramidibus Labyrinthi adnumerantur, in Aegypto, Cretâ, Lembo & Italia; sed in his omnium celeberrimi, vetustate Aegyptiacus, artificio Creticus. Causa ædificij duodecim contra priscum morem in Aegypto electi Reges. Hi fœderibus inter se concordiam pacti, sicut

sicut animis fuerint in vita conjunctissimis: ita uno eodemque sepulcro, morti ut conderentur, ejusque rei memoriam posteris ut relinquerent; Labyrinthum communibus impensis placuit aedificare, ex lapide polito fornicibus tecto: Cujus duodecim fuerunt aulae, portis oppositis altrinsecus, sex ad Aquilonem, totidem ad Austrum vergentes, & muro extrinsecus circumseptae. Bifaria in eo domicilia, subterranea alia, alia illis imposita superiora, numero utraque 3500; quemadmodum Herodotus, sese vidisse, affirmat. Egressus per tecta, & regressus per aulas diversissimi. Itinerum ambages inexplicabiles, crebris foribus inditis, ad fallendos occursum, redeundumque in errores eosdem. Antequam ad viarum illum inexplicabilem errorem pervenitur, scandenda coenacula prius excelsa, omnesque porticus nonagenis gradibus: quibus peragratis, fessi sunt cundo. Si quis improperet absque duce itinerum experto aut sine lini glomere, reditus impossibilis. Intus columnarum de Porphyrite lapide, Deorum simulacra, Regum statuarum, Crocodilorum

Lib: 2.

Caput Septimum

rum Aegyptijs sacrorum, & Regum in subterraneis sepulchra. Mirâ arte parietes picti & exornati. Quorundam coenaculorum talis fuit structura mirabilis, ut adaperientibus fores tonitruum intus horribile extiterit.

Alter celebratus in historijs Labyrinthus Creticus fuit, à Dædalo ad imitationem superioris miro artificio constructus; sed centesimam, inquit Plinius, ejus tantum portionem imitatum. Huic inclusum fabulantur Minotaurum fuisse.

Q U A R T U M.

Quartum orbis miraculum fuit IOVIS OLYMPII TEMPLVM, ex Ebore à Phidiâ præstantissimo artifice exstructum.

Q U I N T U M.

Quintum orbis præclarissimum opus fuit MAVSOLI SEPVLCHRVM, quod Artemisia Carix Regina, viro defuncto carissimo, tantâ magnificentiâ, tantâque arte construxit, ut omnia hodiè Regum & Principum magnificè exornata sepulchra, Mausolia inde appellentur. Hujus altitudo ad viginti quinque cubitos sublata fuit primò. Totum in circuitu  
conti-

Laby-  
rinthus  
Creti-  
cus.

Diodorus  
lib; 4 ca; 11

4.  
Iovis  
Olympij  
Templis

5.  
Mauso-  
li sepul-  
chrum.

Plinius  
lib: 16.  
cap: 5.

continuit pedes quadringentos & vndecim. Cincta fuit triginta sex columnis. Artifices singuli, singulis lateribus adhibiti, quatuor ad mortem usque Artemisiæ celârunt, nec ab incepto opere, eâ licet defunctâ, destiterunt, donec perfecerint; æternum nomini suo inde monumentum quærentes. Supra Pteron seu tectum, collocata fuit Pyramis, altitudine inferiorem structuram æqvans, & 24 gradibus in metæ cacumen se contrahens; Opus quinti artificis. Sextus Pythis super imposuit in summo, quadrigam marmoream, quæ ad CXL pedum altitudinem opus totum evexit.

SEXTVM MIRACVLVM.

Intra præclarissima orbis opera, recensetur & OBELISCVS Semiramidis, longitudine pedum centum & quinquaginta; latitudine vero spissitudineque quatuor & viginti. Lapis unus erat, ex Armeniæ montibus excisus, & magnâ curruum multitudine ingentiq; curâ, longo itinere ad flumen delatus, & navi impositus, Babylonem usque ductus, & in viâ nobilissimâ erectus, jucundissimam pariter aspicientibus & admirabilẽ præbuit speciem.

6.  
Obeliscus  
Semiramidis.

S E P T I M V M.

7.  
Cyrus  
magnifica  
domus.

Est & Cyri magnifica domus septem orbis miraculis adnumerata: Cujus parietes fuerunt ex marmore junctis auro lapidibus: laquearia fulserunt auro subducta, gemmis & margaritis eo ordine distinctis, ut totius cœli curlum, & syderum ordinem repræsenterint: Columnæ solido auro circumductæ: mensæ & subsellia ex argento: pavementum ex marmore varij coloris stratum.

Hactenus de septem orbis præclarissimis operibus, quæ miracula Mundi appellantur, diximus breviter, quantum ad institutum nostrum sufficere arbitrati sumus.

His quidam templum Ierusalymitanum annumerant. Plinius verò cenet nihil admiratione dignius vitum in toto orbe terrarum, quam insignes & magnifici illi aqueductus, à Cajo Iulio Cæsare Romæ inchoati, & à Claudio peracti: Quippè à lapide quadragesimo, longo cursu, ad eam excelsitatem summâ arte levati, ut in omnes urbis mōtes, abundantia copiâ aquæ influxerint, omnibusque

busque privatis & publicis balineis, piscinis, domibus, Euripis, hortis, suburbanis etiam, & villis suffecerint: insigni arte ad hanc rem exstructis arcibus, summo labore perfossis montibus, adæquatis convallibus. Erogata in hoc opus sestertia quingenta quinquaginta quinq., seu ut Budæus legit, sestertium quingentes quinquages quinqvies: quæ conficiunt in nostra moneta ferè 14 Tonnas auri.

*Conferuntne hæc tam magnifica adificia vitam beatam?*

**P**Ræterquam, quòd hæc tam magnifica adificia exiguam conferant vitæ humanæ commoditatem, ac animos tantum hominum sui admiratione dementent, & oculos pulcritudine sua pascant: nihil præterea quod tantis laboribus & impensis respondeat utilitatis habent. O vanas hominum cogitationes! O frustrati ambitiosorum conatus, Gloriam sibi, & immortale nominis monumentum, tantis tamq., irritis laboribus, cum stultâ temporis & pecuniarum jacturâ quærentium! quod tamen non nisi unico vir-

Caput Septimum

tutis & pietatis studio comparatur. Quo, cum ardua sit semper via & multo sudore paranda; Illis verò Regibus, qui Pyramides construxêre, ob ignaviam, Tyrannidem & crudelitatem, quâ miseros premebant subditos, in via & prorsus præclusa: quò virtute non potuerunt, potentiâ contendebant. Quocirca tantùm abfuit, quo, quod tantis conatibus querebant, obtinuerint, ut eò magis stulticiam suam toti Mundo prodiderint. Quemadmodum Plinius testatur: Qui cum duodecim ordine recensisset Historicos, qui de Pyramidibus Aegyptijs scripserint, inter hos omnes dicit, non verè constare à quibus Regibus illæ factæ sint: *Iustissimo casu oblitteratis tantæ vanitatis autoribus*: Proindè & Labyrinthos hos portentissima humani ingenij opera appellat: Alij verò, *stultorum Regum magnifica opera, Regumq; pecuniæ ociosam & stultam ostentationem*. Adeò inquit præterea Plinius: *Vesana dementiâ quæsisse Gloriam impendio nulli profuturo. Præterea fatigasse regni vires, ut tamen major artificis laus esset*. Hanc hominum vanitatē, in se ipso conquestus est  
Rex

Lib: 36.

cap: 33.

de splendidis aedificijs.

Rex, post homines natos, sapientissimus Salomon: Magnificavi opera mea & aedificavi mihi domos, & plantavi vineas: feci hortos & pomaria, & conseri ea cuncti generis arboribus, exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantiū &c: Cumq; me convertissem ad universa opera, qua fecerant manus meae, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

Ex hoc sapientissimi Regis & dicto & exemplo intelligimus, nec vitam beatam nec speratam lætitiā aut requiem consecuturos, qui eam quærunt in splendide aedificatis palatijs, & sumtuosis cœnaculis, aut domibus multo auro, pictisve tapetibus exornatis. Nā cum ingentem Nebucadnesar de sua Regia concepisset animo lætitiā, nimis subito conversum gaudium illud fuit in tristissimū spectaculum. Neque Cyrus ullam capiebat ex suo Palatio tam splendide aedificato, auro argentoque adoperto voluptatem. Verum vix absoluto aedificio, postquam contra

Massage-

Ecclesi  
cap: 2.

Nebu-  
cadne-  
sar.

Dan: 4.

Caput Septimum

Massagetas profectus est, non redijt: nec sperati Gaudij & voluptatis compos factus est. Ita repentina calamitas superveniens eis, qui in magnificis delitescunt palatijs cœnaculis & cubilibus, gaudium quod animo conceperāt, requiē & delicias quas sperārant, in miseras curas & tristissimū luctum sæpè cōvertit: & multi ingentibus curis, laboribus & impensis, vix absoluto ædificio, morte præveniuntur, priusquam ijs quoquomodo fruātur; imò alijs post se relinquere coguntur, sibi quod paraverāt. O caducam, ò brevem, ò momentaneam hominum vitam, vanis plerunq; curis, molestijsq; non necessarijs refertam! Quæ stultitia, tantis sudoribus parras opes, tam leviter, & ferè majori, quò partæ sunt labore profundere, supra modum splendida ædificando palatia. Adam, Methusalem, Abraham, Isaac Iacob & reliqui patriarchæ, quibus vita decuplo longior fuit, & ad mille annos extendebatur, in tentorijs habitabant. Noverant enim & verè noverant, se, ut peregrinos & advenas, permanentem hic non habere civitatem. At nos palatia ingentia exstruimus, qui vix decem aut viginti annos vitæ, reliquos habemus.

Caput

CAPVT OCTAVVM.  
DE NOBILITATE.

**H**OS & decus Generis huma-  
ni NOBILITAS est, præmium  
virtutis & industriæ, ab ipso Deo  
originem ducens: qui quasdam ex multitu-  
dine humana familias, virtutis laude ornatas,  
ad HONORVM & DIGNITATVM culmen  
evexit. Voluit enim DEVS conspici illustre  
discrimen virtutis & vitiorum, laboris & desi-  
diæ, & gradus esse DIGNITATVM inter ho-  
mines, ut aliqui sint, qui imperent, & leges  
dicent, aliqui rursus, qui legibus obediant: &  
hoc modo communis hominum SOCIETAS  
conseruetur, coalescat in pace & concordia, &  
legum beneficio ab injuria malorū vindicata,  
propagetur. Quos itaque æternus ille ac præ-  
potens hominum conditor alijs præferre, quos  
ad summum dignitatis gradum attollere, &  
ad imperij fastigium collocare voluit, aut  
quos ad res magnas, hominumque generi sa-  
lutares gerendas excitavit: hos singulari vir-  
tute, & præ omnibus alijs heroicâ indole, in-  
struxit

struxit; & sæpè eorū nomina quoq; anteqvam  
 in lucem venerunt, edidit. Quemadmodum  
 de Cyro sacrę literę testantur, quòd, cum ad e-  
 vertendum imperium Medorum, & consti-  
 tuendum Regnum Persarum, liberandosque  
 Israëlitas ex captivitate Babylonicâ, Deus eum  
 vocâsset; non solum per os sanctorum Pro-  
 phetarum suorum, ad res tantas efficien-  
 das missum iri, prædixerit; sed & ipsum no-  
 men ejus tot retrò seculis ediderit. Sic enim  
 Esa: 44 inquit Iehovah: Ego sum, qui edictu-  
 rus sum CYRO pastori meo, ut omnem de-  
 lectationem meam perficiat; utque edicat Ie-  
 rosolymitanis, rex edificator, & templo, funda-  
 tor. Et capite sequenti dicitur: quod Ieho-  
 vah apprehenderit seu confirmaverit, dexte-  
 ram uncti sui Cyri, ad sternendas coram eo  
 gentes, ut lumbos Regum dissolvat; ad aperi-  
 endum coram eo valvas, ut portæ non occlu-  
 dantur. Ego, inquit Iehovah, tibi præiturus  
 sum, & inæqualia æqvaturus, valvas chaly-  
 beas fracturus, & vectes ferreos succifurus:  
 Daturusque tibi Thesauros abstrusissimos,  
 & repositas opes abditissimas: ut cognoscas  
 me le-

me Iehovam, qui voco te nominatim, Deum  
Israëlis esse. Propter servum meum Iacobum  
& Israëlem electum meum, propterea me vo-  
casse te de nomine tuo, cognominasse te,  
quamvis ignoras me.

Et ipse CYRVS elapsis 70 hebdomadibus,  
publicè proposito edicto fatetur: Omnia  
regna terræ dedisse sibi Iehovam Deum cœli,  
& ipsum præcepisse sibi, ut ædificaret ei do-  
mum in Ierusalem, quæ est in Iudæa.

Ad eundem modum Dominus missurus  
Mosen ad educendos Israëlitas ex Aegypto,  
ipsum egregiâ indole Iosvam, ad introducen-  
dum populum in terram promissam; heroica  
virtute: Iudam, Gideonem, Iephtam, Sim-  
sonem, ad liberandos Israelitas de manu Phi-  
listæorum, insigni fortitudine, instruxit. DA-  
VIDI ingenium omnia Regijs virtutibus,  
pietate sapientiâ, fortitudine, præditum in-  
didit. Salomonem sapientiâ, cunctos in or-  
be Reges superante, ornavit. DANIELEM &  
socios insigni eruditione & rerum reconditi-  
ssimarum cognitione aptos fecit, ad res maxi-  
mas in Imperio Persarum gerendas. Ipsa de-

2. Para: 16.

Caput octavum

niq̄ue experientia testatur, eximiã virtute & naturã heroicã præditos esse, q̄vi ex heroicis parentibus sunt nati, & è præclaris familijs ortum habent. Et hos singulari, præ alijs hominibus omnibus Deus fortunã, successu mirabili, & peculiari Numinis afflatu ornat. Videmus cum summa animorum nostrorum admiratione, hoc ipsum in Alexandro M. Dario Histalpe, Iulio Cæsare, licet Ethnicis. Idem in Mose, Davide, Samuele, & alijs: in quibus etiam genitosus & heroicus animus tempestivè in ipsis incunabulis apparuit. In Mosi facie divina virtus eluxit, cum in fisco la scirpea expositus in mari fluctuaret. Quanta in Davide *ἐν φωνῇ*, & quantum futura fortitudinis indicium? dum vix pueritiam egressus, ausus fuerit cum Leone & urso congregi, quos solus pedis manuumque vi confecit? quo deinceps successu animatus non dubitavit, ipsum Gigantem Goliathem, sola animi magnitudine & divinã ope fretus, adoriri. Tempestivè in Alexandro M. apparuit Regia indoles, cum solus Bucephalum, generosæ ferociæ equum, de quo frenando omnes desperabant,

Moses.  
Exod: 2.

David  
1. Reg: 17.

Alex:  
M.

ſperabant, prudentiâ summâ domaret; & ob  
id præ nimio gaudio deoſcſulatus eſt à patre,  
qvi admiratus ſingulare ejus ingenium, ad res  
maximas natum, dixit. *Quare fili par tibi  
Regnum, ſiquidem non capit te Macedonia.*  
Cumqve Darij Perſarum Regis matrem, vxo-  
rem & filiolum captos in poteſtate haberet, &  
hunc in amplexum ſublato aliquandiu te-  
nuiffet. & exoſcſulatus eſſet Alexander, atq; ſin-  
gularem in eo puero indolem conſpexiffet; ad  
Ephæſtionem converſus, inquit: *Quam vel-  
lem Darius veltantillum ex hac indole habu-  
iſſet.* Et Xenophon totus in eo eſt lib: 1, ut  
ingentam naturæ Cyri heroicæ bonitatem  
oſtendat. Certè inſigne animoſitatis & forti-  
tudinis futuræ edidit documentum, cum pu-  
er in venatu, quotiens cervam proſilientem,  
aut aprum irruentem vidit, fruſtra inhibenti-  
bus corporis cuſtodibus, cum periculo etiam  
vitæ, impetum in illas feras faceret; inſtar, in-  
quit Xenophon, generoſi catuli &c.

Idem de Alphonſo, filio Ferdinandi Regis  
Arragonum, commemoratur, qvi, vix ado-  
leſcentiam ingreſſus, cum in venatione aprum

Cyrus.

Alpho-  
ſus.

eximia magnitudinis in fugam convertisset, non destitit eum insequi, per loca in via, dura & aspera, etiam postquam in rapidissimum flumen Iberum, aper fugiendo sese demitteret; ipse, frustra vociferante præceptore, cujus custodiæ commissus fuerat, periculumque ostendente, eum insecutus strenuè occidit. Mira commemorantur de Samuelis indole: de Augustino, Bernardo, Chrystomo, quàm tempestivè præclaræ indolis documenta dederint: De Cicerone, qui in ludo literario non discipulos modò omnes, sed & eorum parentes in admirationem sui pertraxit, adè, ut ad Ciceronem contemplandum oculis, & acumen atque solertiam ejus in discendo considerandum, acervatim ad ludum confluerint cives. Itaque quos Deus ad res magnas vocavit, his quoque ejusmodi indolem indidit, quæ eximijs virtutibus & magna auctoritate instructa esset, ut appareat eos, divinitus vocari, adjuvari, & referre eos sapientiæ, justitiæ & veritatis ipsius Dei imaginem.

Hinc **NOBILITAS** orta, quando armis, gladio, Galeâ, Clypeo, alijsque insignibus ornati,

Cicero.

nati, & à reliqua inertis multitudinis distincti sunt, qui illustri virtutis & fortitudinis, animique heroici documento, reliquos superarunt: aut alioquin sapienti consilio, virtute & industriâ, de patria sua benè meriti fuerê. Ita **DAVID**, cum suæ virtutis eximium hoc documentum edidisset, ut Goliathem ausus unus fuerit adoriri, eumque superâisset; non modò hoc fortitudinis & industriæ præmium à mulieribus retulit, quòd virtutes ejus insigni ode prosecutæ sine: verum etiam ipse Saul antea à Deo Rex Israël electus, jam verò ob impietatem reprobatus, eum ad sublime hoc sustulerit fastigium, ut datâ filiâ in generum ascisceret. David rursus **IOABVM**, ob insignem fortitudinem, cujus documentum edidit, dum primus Iebusæorum muros præ altitudine formidabiles ascendit, Polemarchum constituit. Ita **IOSEPH** à Pharaone: **DANIEL** à Dario & Balthasare: **MARDOCHEVS** ab Ahasvero: ob eruditionem & insignem sapientiam fidemque, quæ reliquos superârunt, magnis honoribus afficiuntur: anulo Regio, catenis aureis, magnificis titulis, quibus

DAVID.

IOABVS.

1. Para: 12.

Gen: 41.

Dan: 2, 4.

Esther 6.

Gen:ca:41

bus patres patriæ dicti sunt, purpurâ & ejusmodi alijs nobilitatis insignibus ornantur. Qui mos etiam hodiè servatur in aulis Regum & Principum, ut NOBILITATE donentur, nobile qui specimen virtutis & industriæ suæ ediderunt. Et hunc HONOREM non sibi solum; sed & toti ipsorum posteritati delatum, quasi magnum magnæ virtutis referunt præmium. Virtus enim ut perpetua est & immortalis, & sæpè in heroicis animis ad feros extenditur nepotes: Ita æquum est, ut & posteri eorum hoc præmio perfruantur.

Fundamentum itaq; & Origo NOBILITATIS VIRTUS est. Hæc, fons est augustissimus, limpidissimus, uberrimus, ex quo omne nobilitatis decus promanat. Proinde ut nihil in omni vita Nobilitate, virtute decoratâ & fultâ, est amabilius, jucundius, augustius, sanctius: Ita eadem rursus nihil tetrius, nihil detestabilius, si virtute careat, aut si Nobiles vitijs delectentur, hæc foveant, sectentur & amplectantur. Amissâ enim virtute, ipsa Nobilitas amittitur, & Nobilitatis nihil nisi inane remanet nomen. Proinde odiosi sunt

Nobi-

I.  
Nobilitas non verum bonum. Quia aliunde decus suum mutuatur.

Nobiles, qui nihil nisi insignia sua, & proavos & clarum nomen avorum crepant, & interim nullo virtutis studio ducuntur, nullum ejusdem edunt documentum; imò sæpenu-merò vitam agunt, quovis mediastino impuriorem.

*Quid tibi NOBILITAS? quid clarum  
nomen avorum?*

*Si servus VITIUS factus es ipse tuis?*

Apparet itaque verè NOBILEM esse neminem nobilitate familiæ, aut proavorum virtute; nisi suâ se virtute nobiliet: Contraque verè nobilem esse, qui virtute suâ, pietate & industriâ nobilem se reddit & conspicuum; etiamsi ex infimo hominum genere, seu humili familiâ, ignotâque stirpe sit oriundus, aut longos proavos enumerare nequeat: Nec aliud revera inter homines discrimen esse, nisi quod virtus generat. Id quod & Poëta Ethnicus animadvertit, cum inquit:

*Si modo non census, nec clarum nomen avorū;*

*Sed probitas magnos ingeniumq; facit.*

Et Boëtius:

*Quid genus aut proavos strepitis?*

Qq

Si pri-

Ovid:

Caput Octavum

*Si primordia vestra  
Autorem Deum spectes  
Nullus degener extat;  
Ni vitijs pejora fovens  
Proprium deserat ortum.*

Hinc quærit Seneca: *Quis ergo generosus?*  
Et respondet: *Qui à natura ad virtutem  
bene est compositus.* Itaque **N O B I L I S** est, qui  
nobilem stirpem augustissimo virtutis deco-  
re nobilitat: **I G N O B I L I S** ille, qui eandem  
turpissimis vitijs inquinat, tantoque ignobi-  
lior, quanto stemmate major.

Juvenalis.

*Omne animi vitium tanto conspectius in se  
Crimē habet, quanto major qui peccat habetur.*

Caligula.

Sveronius

Quid profuit **CALIGULAE**, quod Agrippæ stir-  
pem negavit, Augusti prætexuit prolapiam,  
adeoque ab ipsis Dijs originem est mentitus,  
divinamque Majestatem asseruit: quod con-  
sistens inter Deorum simulacra, adorandum  
fese præbuit & constitutis peculiaribus Sacer-  
dotibus, exquisitisque victimis sibi immola-  
ri iussit; cum interim homo extiterit impu-  
rissimus & crudelis Bestia, nullis non pessi-  
mis flagitijs obnoxius. Vnde quanto major  
haberi

generent. Profectò quantò major Nobilium gloria, tantò majus sustinet onus, cum per lubricam & penè inviam virtutis viam, ad Glorix & Honoris fastigium sit ipsis ascendendū: tantisque majoribus sint expositi periculis, cum hæc via ardua & difficilis, multis sentibus & spinis sit obducta, & non nisi magno vitæ periculo pervia. Hesiodus:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρυῶν θεοὶ προπάροιθε μὲθ' ἡκέρ  
 αθάνατοι

3.  
 Nobilitas non  
 pereunte  
 & stabili  
 bonū.  
 Quia  
 Fortuna  
 mutatio-  
 nis ob-  
 noxia.

Maximâ verò curâ tenentur, ut, quemadmodum VIRTUTE nobilitatis decus consecuti sunt, ita VIRTUTE idē tueantur: nec quicquam committant unquam, quod illustri generi eorum labem aliquam aut maculam aspergat. Sint igitur in medio cursu gloriæ & dignitatis, memores humanæ fragilitatis, nec tumescant superbiâ, neque despiciant alios: sint procul ab omni ferociâ; ne abutentes suâ potentiâ, Deum suæ dignitatis autorem offendant, ac sibi toti que generi suo calamitates tristissimas attrahant. Consuevit enim Deus sublimia cuncta mutilare, & potentes sedibus suis deturbare, quàm primùm suæ originis immemorès, fastuosè efferuntur. Qua

Qua de re olim admonebantur, cum multis alijs rebus, tum etiam his LUNULIS, quas tanquam signa NOBILITATIS eminentioris, Romani patricij in calceis gestabant. Lamina erat aurea, figurâ qualis fermè in Luna prima conspicitur. Ut enim varij in Luna vultus: Ita varios nobilibus Fortunæ vultus esse extimescendos indicarunt: Ex obscuro prodit illa, tenui luce coruscâs: mox majore acquirat. Soli opposita, plenâ luce resplendet; sed cum jam clarissimam lætamq; ostentat faciem; rursus consenescens deficit; donec planè luce omni amissâ, ex conspectu hominum evanescat. Ita meminerint NOBILES, commonefacti nobili hoc antiquitatis documento, & nobilitatis primæ insignio, varijs se fortunæ casibus objectos esse, & fieri posse, ut mutatâ sæpius Fortunâ, tandem omnes prorsus Lunulas suas amittant: Vti in Esaia vaticinio Deus illis comminatus est. Quantò itaque genere sunt sublimiores, tantò sint animis submissiores: & sedulò dent operam, ut Phaëtontis currum rectè gubernent, regiâ viâ incedant, mediumque semper cursum teneant;

Esaia 1.

*Caput Octavum de Nobilitate.*

ant; ne à recto tramite deficientes, ad ima præcipites ruant. Cujus olim Poetæ, de PHÆTHONTE fabulantes, eos admonere voluerunt. Hic enim Solis filius, de nobilitate generis cum EPAPHO Iovis filio decertans, quo cunctis mortalibus generis sui nobilitatem patefaceret, multis indefelsisque precibus, tandem à patre vel invito obtinuit, ut currum solis ipsi regendum uno die concederet; verum voti compos factus, Regiam viam observare nesciens, subindeque à medio cursu exorbitans; modò calore terrarum orbem, ob nimiam Solis propinquitatem combussit; modò Aethiopicam regionem, nimio & insveto frigore, ob solis absentiam pressit. Itaque, ne genus humanum, omnia animantia & terræ nascentia, prorsus interirent: fulmine intelix currus solis rector, à patre dejectus, perijt.

Cum itaque ex his quæ diximus constet, Nobilitatem, veri, perfecti, & perennis nomen boni obtinere non posse: & possessoribus suis ferè obesse magis, quam prodesse, inque ea plus oneris quam honoris inveniri, fortunæq; mutationibus subjectam esse, nobilitatē nihil facere ad beatē vivendum, concludimus.

CAPVT NONVM.

DE FAVORE REGVM  
ET PRINCIPVM.

*Sunt ne Beati, qui apud Reges & Principes  
in magna sunt Gratia?*



**Q**uanto labore & indefesso studio, multi in id solum incumbant, hūc omnes ingenij & industriæ suæ nervos intendant, ut gratiam Regum aut Principum, aliorumque, qui ad rerum gubernacula constituti sunt, potentiâ, opibus & auctoritate conspicui, aucupentur; vita aulica ostendit. Aulici plerique ad nutum eorum, quorum gratiam & favorem venantur, toti se componunt: his adblandiuntur, his ad voluntatem loquuntur, tacent, incedunt, recedunt: & ad horum ingenium formant omnes suos sermones, actiones, consilia: premunt alios; ipsi ut emergant: calumnijs proscindunt; ipsi ut innocentes videantur, & boni viri, fidelesque subditi judicentur: putantque se omnium felicissimos ac beatos esse, si Regum & Principum gratiâ fruantur. Sed quoniam  
de vi-

Caput Nonum

de vita aulica à multis multa sunt scripta, erimus & hîc breviores: & ut à re ad rem veniamus; ostendemus deinceps, an gratia Regum & principum eam conferat felicitatem, quam sibi aulici plerunque imaginantur.

*Gratia  
magna-  
tum fal-  
sum bo-  
num.*

I.

*Quia  
conijcit  
homi-  
nes in  
miserâ  
& de-  
formē  
servi-  
tutem.*

LIBERTAS enim, ut est inæstimabile bonum: ita vita verè beata eo summoperè gaudet, nihilque ingenuo homine Libertate dignius. Verum omnem libertatem vendunt miserèque prostituunt, & servos se atque mancipia faciunt, cum liberi esse possent, qui magnatum gratiam tanto conatu aucupantur. Et si enim fieri interdum potest, ut vera virtute & fide gratiam magnorum dominorum demereatur aliquis; rarum tamen hoc est, & non nisi optimorum. Plerunque qui Regum & Principum affectant gratiam & favorem, linguam venalem habent, libertate loquendi destituantur, nihil agere, dicere, meditarique audent, nisi quod putant illis placere, ex quorū nutu vivunt; quæ res sanè miserrima servitus est hominique ingenuo indigna. Tamen si & hoc fatear, quod hoc hominum genus, simul ac voti compos factum est, & gratiam domini quov's

quovis modo sibi conciliavit ; nihil minus sentiat , quam quòd tam tristi servitute sit obstrictum : Imò putat se planè felix esse , & suis rebus optimè consuluisse.

Fit etiam plerunq̄ue , ut qui tantâ contentione gratiosi sunt , & toti in eo , ut Dominos habeant faventes ; nihil tamen minus in recessu pectoris constitutum foveant , quàm quod externis illis adulatorijs gestibus , summâ illa reverentiâ , & totius corporis inclinatione , singulari observantiâ , & demissi vultus habitu , simulant. Plerunq̄ue pessimi sunt nebulones hypocritæ impudentissimi , Ecebolij , & vertumni. Proinde qui tam varij & multi sunt in exhibendâ reverentiâ & honore ; aliud verbis pollicentur et gestibus , aliud intus in pectore premunt , nec prius infidelis animi latebras produnt , nisi quandò Fortunâ Dominorum immutatâ , mutantur & ipsi : quâ tempestate infensiosem hostem , sibi que magis adversantem nullum Domini experiuntur , quàm hos ipsos adultores , qui pessimi dominorum proditores esse solent.

Exemplum ejus rei insigne SEMEI, in aula

R r

Da

2. Reg: 16.

2.  
*Gratia  
 Regum  
 non per-  
 fectum  
 bonum.*

Davidis fuit : qui quam diu florente fortunâ Rex usus est , nemo illo fidelior Regi , nemo observantior , nemo magis in gratiâ ; at postquam contrarios ejusdem afflatus Rex experiretur ; nemo illo infestior , nemo crudelior hostis. Cujus farinæ & Siba, Ioab, Achitophel Doëg & alij complures fuêre , à quibus sanctissima Regis vaticini aula tuta esse nō potuit.

Quid, si animus esset commemorare, quibus peccatis enormibus, quibus mendacijs, obretationibus, delationibus ; quâ læsâ conscientiâ ; quibus artibus, technis, & infidijs ; quo periculo vitæ, famæ, bonorum, animæ, sæpè numero Regum gratia comparetur ; quò evaluaram hanc commentationem esse existimemus ? Plenæ sunt aulae interdum hujusmodi exemplis & querelis. Ostendit unicum Thurini Vetronij in aula Alexandri Severi, fumos qui vendidit, fumo qui perijt, exemplum, multos in aulis Vetronios fumivendas reperi. An non experientia testatur, multos in eam dementiam gratiæ Regiæ aucupandæ causâ devenire, ut agnitam cœlestis doctrinæ veritatem, aut prorsus abnegare ausint, aut non absq;

absq; sordidissima, apostasias notá quovis vento opinionū agitatur, homines, ipso vento leviores veriq; Ecebolij. Nam de Ecebolio scripsit Socrates: quod, dum imperium tenerent Christiani Imperatores, & ipse acris fuerit religionis Christianæ assertor: Ethnicis verò imperium tenentibus Imperatoribus, ut Iuliano fœdissimo apostata; & ipse Ethnicus factus sit & gentilis: At sublato Iuliano, rursus Christianus factus, ad fores templi pœnitentiam agens, seu potius fingens, pronus se in terram projecit, prætereuntesq; acclamaverit: *Calcate me salem insipidum.* Ita impius VRIAS, summus Sacerdos, in gratiam Achabi Regis, patitur Religionem Ethnicam introduci in templum Ierosolymitanum, & mutari cultus ab ipso Deo institutos. Quod idem & Iasonem fecisse legimus in gratiam R. Antiochi.

Quam constans quoque sit Regum & Principum interdum gratia, docent luculenter sacra, litera & testantur exempla Abrahami, Moïsi, Eliæ, Esaïæ, Jeremiæ, Danielis & totiorum, Michæ, Amos, & multorum aliorum, ac penè piorum omnium, quorum no-

Eceboli-  
us.

Lib: 9. hi-  
sto: Eccle:  
cap: 17.

VRIAS.

4. Reg: 16.

2. Mach: 4.

3.

Gratia  
Regum  
non sta-  
bile bo-  
num.

Caput Nonum.

Papini-  
anus.

mina si exequi vellem, in infinitū excresceret oratio. Solonis, Dionis, Platonis gratia, in aulā non diu duravit. Cumque PAPINIANVS ju-reconsultus æternā memoriā dignissimus, parricidium Antonij Balsiani, qui fratrem Getam, ad sinum matris confugientem, interfecerat, excusare nollet; diceretque: *Non tam facile excusari parricidium quam perpetrari*: non modo excidit omni gratiā, quam antea apud Imperatorem habuit, sed incidit præterea in præsentissimum vitæ periculum, quo etiam periit, unā cum multis alijs præclaris viris, à Tyranno interfectis.

Bellisario.

Qvis BELLISARIO fortissimo duce simulque felicissimo, cujus jam sæpius meminimus, Iustiniano Imperatori charior? quis unquam in majori gratiā? Fidissimus idem, oblatum imperij Diadema respuit, & in toto Romano Imp: maximè insignis habitus est. Nec tamen invidiæ aulicæ tela effugere potuit; sed Constantinopolim vocatus, accusatus & vincente calumniā condemnatus est: Oculis insuper & opibus privatus, panem emendicare coactus est.

Eandem

*de Favore Regum & Principum.*

Eandem campi notam, & aulae gratiam expertus est in aula Neronis, à proprio discipulo  
SENECA: quo nemo Imperatorum amicitia, ob præclaram eruditionem, & insigne excellentis ingenij acumen, prudentiamque Politicam dignior. Nec profuit ei, quod malum futurum præsentiens, opes suas, propter quas interitum metuebat, spontè Tyranno offerret: tandem etiam prorsus aulâ egrederetur. Nec tamen viam ullam declinandæ mortis injuriæ invenit. Gratiam vero hanc institutionis fidelissimæ aulicam nactus est, ut propositâ moriendi necessitate, optionem liberam haberet, quocunque genere necis vellet, decedendi. O sævam ab ingrato discipulo institutionis mercedem, & ingratham aulicæ servitutis gratiam! Ille itaque confectâ jam ætate, sublatâque spe omni salutis, venas in balneo secandas præbuit. Sed verba ejus ad Neronem non pigebit ascribere. *Quartus decimus annus est, ex quo spei tuæ admotus sum, octavo ut Imperium obtines: medio temporis, tantum honorum atque opum cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus.*

SENECA.

Tacitus  
lib: 14.

Rr3

Et paul-

Caput Nonum

Et paullo post. Ego ne Equestri & Provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror? Inter nobiles & longa decora præferentes novitas mea enituit? ubi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatij, tam lato sænore exuberat? una defensio occurrit, muneribus tuis obtiti non debui. Nam uterq; mensuram implevimus, & tu quantum Princeps tribuere amico posses, & ego quantum amicus à Principe accipere. Mihi subveniendum est, cum opes meas ultrò sustinere non possim, in hoc vitæ itinere senex, & levissimis quoq; curis impar: præsidium peto, jube opes meas per procuratorem tuum administrari, & in tuam formam recipi: quod temporis hortorum aut villarum cura ponitur, in animum revocabo.

Verba sunt admoniti ab amicis, ut spontanea cessione bonorum, quibus inhiabat Nero, mortis periculum aut relegationem, ob ingentes, & privatum supra modum, ut scribit Tacitus, evertas opes anteverteret, vitamque redimeret, quod tamen obtinere non potuit.

Balne-

*de Favore Regum & Principum.*

Balneum igitur ingressus hoc sibi Epitaphium ipse composuisse dicitur, quod adhuc Romæ extat.

*Cura, labor, meritū, sumti pro munere honores,  
Ite, post hac alias sollicitate animas.*

*Me procul à vobis Deus evocat, ilicet actis  
Rebus terrenis, hospita terra vale.*

*Corpus avara tamen solemnibus accipe saxis  
Namq; animam celo, linquimus ossa tibi.*

Hanc lubricam præcipitisque fortunæ aulicæ malitiam, experti sunt & alij præstantissimi viri: ut Plato & Dion in aulâ Dionysij Syracusani: Symmachus & Boëtius in aulâ Theodorici Veroneris Gothorum Regis. O miseram & calamitosam vitæ aulicæ conditionem! O splendidam miseriam, & miserum splendorem!

*Aula malum suave est, res detestanda, futurū  
Promittis, præsens das nihil, aula vale.*

Id quod magno suo malo experti sunt plurimi, qui aureos montes de vitâ aulicâ sibi polliciti sunt; sed vanâ se spe delusos esse, nimis ferò deplorarunt, cum nihil inde reportarint neque lucrati sint, quam pro favore dolorem,

pro

pro splendore laborem, pro opibus inopiam,  
 & deformem cum læsâ conscientia senectutē.  
 Cum igitur constet gratiam aulicam bonum  
 esse, non verum; sed fucatum: non perfectum;  
 sed multis doloribus & laboribus mixtum:  
 non stabile sed mutabile; satis manifestum est,  
 nihil eam facere ad vitam beatam, nec confer-  
 re veram perfectam & perennem aulicis feli-  
 citatem.

Proinde quantum potes, si sapias, fuge vitam  
 aulicā, fuge Regum familiaritatem, devita vi-  
 tam non vitam sed miseriam prælustrem.

*Sævum prælustri fulmen ab arce venit.*

Aut si omnino tibi in aulis vivendum fuerit,  
 circumspectè age, & prudenter rebus tuis con-  
 sule, quodque monet Salomon: *diligenter*  
*attende quæ proposita sunt antè faciem tuam,*

*Et statue cultrum in gutture tuo, si tu ha-*  
*bes in potestate animam tuam. Ne*

*desideres de cibis eius, in quo*  
*est panis mendacij.*

Prov: 23.

CAPVT DECIMVM.

DE FORMÆ ELE-  
GANTIA.

**N**Eque ab omni prorsus ratio-  
ne alienum esse videtur, si hoc loco,  
ubi Fortunæ munera exequimur  
de Formæ præstantiâ, Corporis quidem bo-  
no; sed Fortunæ mutationibus subjecto di-  
camus: Hâc enim multi, cum reliquis præ-  
stare sese animadvertunt, mirum in modum  
sibi placent, efferuntur fastu, & procaci super-  
biâ fastidiunt alios, atque adeò se hujus pos-  
sessione boni, felices ac beatos esse arbitran-  
tur. Neq; unquam tam validè Herculem su-  
um dementavit Omphale, uti pulchritudo  
hominum mentes dementatas tenet, & ad fa-  
stum atque superbiam inflectit. Hinc, cum  
videret ABSOLOMVS, se omnes suæ ætatis  
homines formæ elegantiâ superare, ingentes  
inde spiritus traxit, atq; adeò se dignissimum  
esse putavit, ut omnibus præponeretur, & ad  
summum imperij fastigium collocaretur: Pa-  
trem vatem sanctissimum fastidire, & elato  
Ss prorsus

Absolo-  
mus.

Caput Decimum

2. Reg: 14  
18.

prorsus animo contemnere cœpit, tandemque regno expulit, quod propter formam sibi deberi omni jure existimavit. Et ut nunquam memoria pulchritudinis suæ interiret, aut prorsus obliteraretur; ingentem statuam, monumentum formæ suæ, in valle Ierosolymitanâ erexit.

Lib: 4. mi-  
hi fol: 131.

Et testatur Herodotus DARIUM, ad Teaurum amnem Thraciæ statuam suam erexisse, hâc inscriptione. AD HANC PERVENIT EXERCITVM DVCENS ADVERSVS SCYTHAS, VIROPTIMVS, ATQVE PVLCHERRIMVS CUNCTORVM HOMINVM, DARIVS HISTASPIS FILIVS, PERSARVM, CUNCTÆ QVE CONTINENTIS REX.

Gap: 24.

Per se quidem Elegans forma, Dei donum est, laudem meretur, & egregijs encomijs in sacris literis ornatur; si adjunctam habuerit mentem pietate imbutam, & veris virtutibus ornata fuerit. Nihil augustius dici potest de muliere speciosâ quam quod Syracides profert. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudore affecta. Sicut Sol cum exortus est, & subuectus est in altitudinem cœli, ornamentum est à Domino mirificum: sic mulier honesta lu-*

*Ista lumen ornatuſq; mirus eſt totius domus.*

*Mulier formoſa, quæ pudoris ſui cuſtos eſt, ſicut lampas eſt ſplendida in candelabro ſancto.*

*Mulier quæ animo eſt conſtanti, eſt ſicut columna aurea in baſi argentea.*

Ita commendantur à formæ decore & præſtantiâ ſanctiſſimæ matronæ, Sara, Rachel, Rebecca, Elther: & de Iudithâ teſtatur ſacra hiſtoria, quod Dominus ei ſplendorem, & formæ elegantiam contulerit, quum cultus ille exquiſitiſſimus, quo ſe ornaverat, non fuerit ex libidine; ſed ex virtute profectus. Itaque Iehovam hanc ejus pulchritudinem auxiſſe aded, ut incomparabili decore omnium oculos in ſe converterit.

Quæ duo, PIETAS ſcilicet & PULCHRITUDO, cum conjuncta fuerint, nullo auro, nullis Gemmis comparari poſſunt, nihil his dulcius, nihil in mundo amabilius. At major tamen ſit PIETATIS quàm Pulchritudinis ratio. Et conjunctam cum formâ pietatem ac pudicitiam, Salomon in fine Proverb: luculenter deſcribit: *Mulierem fortem quis inveniet? procul eſt de ultimis finibus pretium*

## Caput Decimum

ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indiget. Reddit ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ, & quæ sequuntur. Et Sy. Cap: 27. Benè huic qui habet uxorem honestam. Hic eò magis longævus erit. Mulier Oeconoma est latitina mariti, & parat ei vitam tranquillam. Mulier pudica est pretiosum donum, & datur huic qui Deum timet. Sive dives sit, sive pauper, consolatio est illi, & exhilarat omni tempore eum. Mulier quæ tacere potest est donum Dei, & mulier benè educata omne pretium superat. Nihil amabilius super terram, quàm mulier honesta, & nihil pretiosius quàm mulier pudica. Mulier comis exhilarat maritum, & cum humaniter eum tractat, recreat cor illius.

At pulchritudo absque pietate, sedulitate, comitate, reliquisque virtutibus ne respicienda quidem est; jmo detestanda tantò magis, quò citius specie decorâ fallit & decipit. Ut Salomon locum paullò ante citatum, hoc egregio Epiphonemate concludit: *Fallax gratia & vana est pulchritudo. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Date ei de fructibus

bus manuum suarum, & laudent eam in por-  
tis opera ejus. Et cap: 6. Non concupiscat pul-  
chritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus  
illius. Et cap: 11. Circulus aureus in navi-  
bus suis, mulier pulchra & fatua. Syracides  
quoq; longo Catalogo formosæ mulieris nul-  
la virtute nitentis vitia enumerat. Vide inquit  
ne decipiaris quod formosa est, neq; concupis-  
cas eam. Non est caput ullum astutius capite  
serpentis. Non est ira tam acerba quam est ira  
mulieris. Mallem Leoni & Draconi coha-  
bitare, quam mulieri irritata. Cum excande-  
scit, mutat vulius suos & nigrior fit quovis  
sacco. Maritum ejus pudet illius & cum ex-  
probatur sibi, dolet animo ejus. Omnis mali-  
tia leviior malitiâ mulieris invidæ. Eveniat  
ei quod evenit impijs. Mulier loquax marito  
modesto perinde est, ac via arenosa sursum ten-  
dens seni decrepito. Quando dotata mulier  
ditat virum, nihil ibi est quam rixa, contem-  
tus & ingens contumelia. Mulier mala tristi-  
tia est cordis & vultus, & vehementissimus  
dolor animi. Mulier quæ non letificat mari-  
tum, tedium conciliat rerum aliarum omnium

Cap: 26.

Caput Decimum

Idem docet cap: 42. *Noli circumspicere ut formosos homines videas, &c.*

Quantò magis detestanda illorum est siue improbitas siue Diabolica malitia, quibus non satis est nativâ formâ superbire, nisi fucata & eumentitam adsciscant! Quod genus superbiæ adeò increbuit inter mortales, ut proverbio locum dederit: quo  $\omega\rho\sigma\omega\pi\tilde{\alpha}\sigma\mu$   $\epsilon\chi\alpha\mu$  mulieres fucatae dicuntur, quæ litâ facie vicelaryæ utentes, quasi personatæ incedunt, & insitam, ut Horatij verbis utar, obvelant deformitatem, aut grassantem senectutem differre cõnituntur. At,  $\pi\omega\ \kappa\epsilon\ \phi\epsilon\lambda\iota\mu\ \beta\acute{\alpha}\tau\epsilon\sigma$ ,  $\tau\omicron\ \delta\epsilon\ \gamma\tilde{\eta}\varsigma\alpha\varsigma\ \omicron\upsilon\ \omega\tau\epsilon\ \beta\acute{\alpha}\downarrow\alpha\sigma$ , valdè venustè dicebat Lucilius. Magnum profectò non curiositatis modò: sed fastus, sed impietatis humanæ argumentum! Animalium pulcherri-  
mus; at is superbissimus, non contentus nativâ formâ, alienam affectat, fucata & eumentitam, humanâ, divinitus concessâ, multò inferiorem & scædiorem! Quæ dementia est Deum conditorem tantâ contumeliâ afficeret, tam atrox peccatum committere? sibi & alijs pœnas præsentis & æternas hac futilitate  
attrahit.

de Forma Elegantia.

attrahere? An non primi parentes speciosi pomi pulchritudine decepti, pristinum decus omne, pulchritudinem insitam & ipsam beatitatem amisere? ac in mortem & exitium præsens & æternum, præcipites se dederunt? Hinc omnis caro ut foenum exarescit, & decidit flos humani decoris, & ante tempus ruga atque senium contrahitur. Cumque filij Dei speciosam formam filiarum hominum aspicerent, ac illicitas nuptias appetere, accensus est furor Iehovæ, ediditque tristissimam hanc vocem: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, eruntque dies eius centum & viginti*: cum antea ad nongentesimum usque annum homines in his terris diurnarent. Pœnis insuper diluvij quibus omnis caro perijt, in eos ultus est.

Constat igitur ex his rationibus, Formam pretiosam & elegantem, non esse verum bonum. Itaque nec vera in ea Beatitas.

Quid si pretiosa forma multos deceptit, & causa fuit maximorum peccatorum, libidinis & superbiæ? Cum enim rara sit concordia formæ cum pudicitia; fit ut magno cum

Esa: 40.

Gen: 6:

*Forma non perfectum bonum.*

Caput Decimum

Salomō

Medusa.

cum periculo custodiatur, quod multis placet; & infinitis modis illa castitati & pudori insidias struat. Elegans Berlabæ forma sanctissimum vatem DAVIDEM ita circumvenit ut fœdissimo adulterij, & nefario homicidij crimine, suam contaminaret sanctitatem, tristesque pœnas sibi & tori domui suæ attraheret. Forma exterarum mulierum Regem SALOMONEM ita dementaverat, ut ad Idolatriæ gravissimum crimen animum ejus deflexerit, nec insidias ejus cavere potuerit, Rex post hominum memoriam sapienti similis. Et fabulantur Poetæ, MEDUSAM præcellentis formæ sceminam, suâ pulchritudine amatores partim in saxa, partim in bruta convertisse eadē vim & caput à corpore jam avulsum habuisse. Quid hinc aliud colliges, nisi in brutorum homines abire naturā, qui tam elegantes sunt formarū spectatores: & corda habere ipsis Caucasi rupibus duriora, qui his rationibus, quas adduximus non emolliuntur aut flectuntur, ut desinant aliquandò admirari & suspicere pulcherrimas istas facies veneras: quiq; in pulchritudine aliquid perfectæ  
Beati

de Formæ Elegantiâ.

Beatitatis positum esse arbitrantur. Nisi ad finem properarem, plurimis declarare hîc possem exemplis quantum non animi solum sed & corporis & fortunarum omnium irre-  
cuperabile damnum dederit formæ elegantiæ. In quas tragicas calamitates miseros homines, quibus infinitis modis imponit, conjecerit. Nec desunt in ipsis sacris literis exempla, cum speciosa Saræ forma, ipsi Abrahamo bis præsentissimum vitæ amittendæ metum incusserit: Pharaoni quoque totique ejus Regiæ: Itemq; ABIMELECHO ingens periculum creavit. Idem ISAACO accidisse legimus. Formæ suæ IOSEPHVS pœnas in carcere luit. Formâ Lucretia periit castissima fœmina. Sic Helena, omnium quotquot unquam inter Ethnicas fuerunt, mulierum formosissima, oris venustate & pulchritudine commovit totam Græciam, prostravit fortissimos Duces, accendit vrbes & ædificia, totumque Trojanum Regnum evertit.

Et intelliget facilè, quam nihil PERENNIS felicitatis aut beatitudinis in venustate situm sit, qui considerabit, quàm fragile bonum sit

Tt

pul.

Gene: 12.  
& 20.

3.  
Pulchritudo bonum fragile.

Caput Undecimum

Seneca:

pulchritudo, quàm caduca omnis oris venustas cum iplo juventutis flore marcescens. Breve inquit Seneca, donum est exigui temporis, & velox celeri pede labitur.

Ovid:

*Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos*

*Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.*

*Nec semper viola, nec semper Lilia florent,*

*Et riget amissâ spina relicta rosâ.*

*Et tibi jam venient cani formose capilli:*

*Iam venient ruga, quæ tibi corpus arent.*

Et alibi

3. Trist: 7.

*Ipsa decens facies longis vitiabitur annis*

*Rugaq; in antiqva fronte senilis erit.*

*Inijcietaq; manus forma damnosa senectus*

*Quæ strepitum, passu non faciente, venit.*

Ex his satis perspicuum est, nihil veræ, perfectæ, & perennis felicitatis, esse in formæ

Elegantia, quæ ipsa falsa fucata & caduca.

Cap:vn

CAPVT VNDECIMVM.  
DE CVLTV CORPORIS.

**S**ed & cultum Corporis consideremus, & pretiosas delicatorum intueamur vestes, in quibus non minimam vitæ beatæ partem, homines ponere consueverunt. Versantur nobis ob oculos fastuosi & molliculi, luxu diffluentes, cultu delicato, & subinde novitatibus aucto, scisso, picto, arteque composito vestitu, gemmis & auro fulgenti. Quo se feliciores cunctis mortalibus existimant, neque quisquam est tam vesanæ audaciæ, qui, modò novitatem aliquam diversi coloris, mirabili picturâ aut scissurâ amentem & stolidam introducat, non inueniat alium multò stolidiorè imitatore.

Quamvis autem hîc culpam eluere, & luxuriosam amentiam suam, homines perfrictæ frontis excusare & palliare lummoperè laborent; dum prætendunt, dum vociferantur & plenis buccis prædicant, quantum momenti habeat, ad conciliandam homini formam, auctoritatem, & dignitatem, vestium ornatissimi

Caput Undecimum

mus cultus. Quemadmodum de Vlyffe solitò magnificentius vestito, Nausicaam puellam Homerus introducit pronuciãtem. Et alibi testatur quod  $\epsilon\kappa\gamma\acute{\alpha}\varsigma\tau\omicron\iota\tau\acute{\delta}\tau\omega\rho\phi\acute{\alpha}\tau\iota\sigma\ \&\nu\theta\rho\acute{\omega}\nu$   
 $\omega\sigma\ \acute{\alpha}\nu\alpha\beta\acute{\alpha},\nu\epsilon\epsilon\sigma\theta\lambda\eta$ , & ex hujusmodi cultu homines sibi nomen & ornamentũ comparare: nihil tamen veræ, perfectæ & perennis felicitatis, in vestitus bono, falso, & caduco, reperiri ostendemus.

I.  
*Quia  
Deum  
offen-  
dit.*

2.  
*Delica-  
tus su-  
pra mo-  
dũ cul-  
tus de-  
honestat  
magis  
quam  
ornat.*

Deum enim vindicem fore, effervescentis hujus luxuriæ, testantur sacræ literæ. Et ostendit divitis Epulonis exemplum, qui bysso & purpurâ induebatur quotidiè, quantopère offendat Deum hic fastus. Sed & experientia ipsa docet, displicere Deo pariter & hominibus, lectum hunc nimis, & amœnum corporis cultum, arguereque animum prorsus effœminaturn & muliebrem. Hinc fit, ut quod ornamento esse debebat, quia nimius est, & supra modum exquisitus, dehonestet magis & deformet, delictosque omnium risui exponat. Vera pietas & virtus summum sunt hominis ornamentum, non vestes majoris impendij fuco ebriatæ, variæ & novitatis nomine

mine commendatæ, quales luxu perdita fluxaque excogitant ingenia. Sed quæ virtus in vestitu supra modum pretioso, & ad fastum composito?

Quòd si beati sunt, qui splendidè amittuntur: beati erunt & lenones, & qui sunt ejusdem farinae, profligatissimæque malitiæ homines, qui magnifico impendio saturatis induvijs, luxuriosè exornantur. Nonne instar pavonum, gemmantibus pinnis, impuras meretriculas incedere videmus? An non calamistrotati capilli, impudentem frontem exornant? an non nebeculæ longè latèque circa collum volitantes, os impurum stipant? nonne sagula holoserica, fluxa & virgata, foedissimum corpus ambit? Digi molliculi anulis aureis radiant? Calcei auro gemmisque fulgent? ut meritò in eas dici possit, quod Græcis est in proverbio: ἕως ἡδὴ καὶ τὸ σῶμα ἵκετο; Itaque sapientissimè pariter, & scitè admodum, olim à Zaleuco Syracusanis & Locrensibus, ad luxum ornatumque vestitus inclinantibus, præcepta temperantiæ data ejusmodi: quibus viros anulos gestandi & isomi-

3.  
*Pessima  
farina  
homi-  
nes splē-  
didissi-  
mi uti  
possunt  
indu-  
mētis.*

Caput Undecimum

lesiâ veste incedendi, facultas omnis adepta est; nisi fortè cum lenocinari aut adulteria committere niterentur. Mulieribus liberis non plus unâ pedissequâ ut comitetur permissum; nisi cum temulenta fuerit: nec aureis incedere ornamentis, aut contextis arteque elaboratis venustari tegumentis, aut fucò facies linire; nisi cum scortari, amatoremque hoc ornamento mulcere, animus esset: aut cum publicam se meretricem esse fateretur. Quibus legibus, quid aliud sapiens legislator voluit, quàm ut suos ad verum temperantiæ studium revocaret, apertèque demonstraret; splendidum supra modum vestitus ornamentum, non modò nihil facere ad veram virtutem, & ad beatè vivendum, cum id meretrices maxime deceat; sed etiam obesse.

Tametsi Caligula, ut scribit Svetonius, quotidie triumphantium habitu processerit in publicum: Nero nullam vestem bis induerit, semper aureâ, rarò sericâ usus sit: indutus & calceis auro litis, gemmisque distinctis nobilissimorum manu artificum; nihilo tamen minus corruptis fuerunt ingenijs, atque adeò pestes

pestes generis humani. Neque CLEOPATRA  
Aegypti Regina, propterea ab adulterijs, & pro-  
priorū liberorum nefandis cædibus abstinuit,  
quòd omnes in toto orbe Reginas, magnifico  
vestium apparatu & ornamento superaret,  
eoque luxuriâ procederet, ut unionibus ab  
aure dependentibus uteretur binis, quorum  
singuli ducentenis quinquagenis millibus au-  
reorum æstimati fuerint, ac singulare uni-  
cumque naturæ opus, & maximi per omne  
ævū, à Plinio dicti. Neq; tamen eos, tanti fecit,  
ut his servatis, ab Antonio marito vinci se pas-  
sa fuisset. Cū enim ille exquisitissimis quotidiè  
saginaretur epulis, existimaretq; , quicquid  
aut terra, aut mare, aut cælum ipsum produce-  
ret, suæ tantum ingluvieri natum; illa supera-  
re virum luxuriâ cupiens, sponsione factâ, cen-  
tes sestertiūm, unâ cœnâ solam se consumtu-  
ram jactavit. Postero die paratâ cœnâ satis  
pollucibili, sed tamen quotidianâ; ea minimè  
se victum Antonius professus est. At arri-  
dens illa, corollarium id esse tantum dixit, et  
postulatâ Phialâ cum aceto acriore, demtum  
ex aure festinanter alterum unionem merisit,  
lique-

CLEO-  
PATRA.

Lib: 9. Ca-  
pi: 35. Plu-  
tarch: in  
Anton:

Caput Undecimum

Clodius

Lollia  
Paulli-  
na.

liqvefactumque aceti asperitate, & in tabernaculum relolutum, ut est natura præstantissimorum unionum, absorpsit, injectâ alteri manu, ut & illum detractum absorberet; nisi L. Plancus tam honesti certaminis arbiter, victum Antonium tempestivè pronunciaffet. At victa paullò post & capta, tantæ quæstionis victrice Regina, à Romanis, alterum unionem sibi per vim detractum vidit: quem tantæ ajunt magnitudinis fuisse, ut dissectus in pantheo Romæ, utramque veneris Deæ aurem exornârit. Vicit eandem Luxuriâ CLODIUS Æsopi tragædi filius, uti ibidem annotat Plinius: *qui ingentium opum heres, ut quid saperent in palato margarita experiretur, multas absorbit, atq; ut mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulis convivis singulas absorbendas præbuit.* Quare de eo sic Horatius:

*Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ  
Scilicet ut decies solidum exorberet, aceto  
Diluit insignem baccam: qui sanior ac si  
Illud idem in rapidum flumen jaceret, &c.*

Quâtâ exprobratione Plinius, loco paullò antè citato, Lollia Paullina meminerit, consideratio-

ratione non indignum. Scribit enim se vidisse illam etiam mediocrium sponfalium cœna, Smaragdis, margaritisque toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque opertam, quarum summa ad quadringentes sestertium, id est, undecies centena millia aureorum computata sit. *Has autem opes avaritas, provinciarum spolijs partas esse: Et M. Lolium avum infamatum Regum in toto oriente muneribus, Et interdicta amicitia à Caio Julio Casare, venenum bibisse, ut neptis quadringentes sestertijs operta, spectaretur ad lucernas.* Ita multi fastu & procaci suam superbiã, nihil aliud lucrantur, quam quod vel suam vel suorum detegant avaritiam, rapacitatem & alia enormia vitia: atque unde gloriam & honorem sperant, infamiam & dedecus ingens sibi & suis reportant.

Nulla igitur in vestitu est gloria & virtus. Animi decor exornat hominem, non vestitus splendor. Quod sentiens Casparus Bruschius Poëta laureatus, cum aliquandò Basilex, ubi tenui re familiari contentus vixit, splendido amictus vestitu, sibi à vicinis præ-

V u latis

Caspa-  
rus Bru-  
schius.

Caput Undecimum

latis donato, in publicum prodijisset, & omnes sibi assurgere, eximiumq; honorem exhibere, propter vestitus elegantiam animadvertisset; domum reversus, vestimenta omnia partim discidit, partim ita deturbavit, ut nullus eorum amplius esset usus; existimans non vestibus, sed sibi honorem ob eruditionem deberi. Sed multò melius sentijt ALPHONSVS Aragonum Rex, qui à quodam admonitus, ut deposito vestitu illo tenui, civibus & aulicis suis vulgari, Regio cultu prodiret; respondit: *Malo moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ.*

4. Præterea pretiosum vestitum nihil ad beatè vivendum facere, noverunt omnes sancti Dei homines, qui his ut uterentur, nunquam animum induxerunt. Vili vestitu, quo frigoris & æstus injuriam declinarent, contenti fuere. Ipse filius Dei, unicâ cum epitogio seu prætexta, tunicâ usus est, quam Sabellicus credit, ita concinnatâ fuisse, ut ad usum perpetuum apta fuerit, & cum modulo corporis creverit putatque non præter rationem, ejus tot retrò seculis Psalmos mentionem fecisse. Nec Pro-  
phe-

Ab exemplis.

Christi vestis.

Psal: 22.

phetis & Apostolis vestes fuere ad ostentationem & lasciviam; sed in usum quotidianum comparatae. Sic Iohannes Baptista, quo non major inter natos est mulieribus, vestem undulatam e pilis Camelorum habuit contextam, non quidem ad aulicam molliem adornatam, ut Christus testatur; sed ejusmodi, qualem & corporis modus, & conditionis ejus ratio requirebat, & qualem dignitas atque auctoritas ipsius postulare videbatur. Idem Sabellicus de D. Bernhardo testatur, quod auream servando mediocritatem, vestitu satis pro ipsius dignitate vili, sed minimè squallenti usus, solitus sit dicere: *Tunicam sordibus obsoletam, testem desidia atque inertia esse, & ejus vilitatem interdum ad hypocrisis spectare.* Quales hodiè multos videmus qui omnia ad ostentationem faciunt, & magnae humilitatis exemplum alijs præbituri, vestimentis ferè ejusmodi utuntur, quæ olim apud Græcos initiatorum dicebantur vel trivonaria, ut est lacerna attrita, obsoleta, depexa, & vetustate corrupta, nullaque temporum aut festorum dierum vicissitudine variata. Hos verè dice-

Iohannis  
Baptista  
vestis.

D Bern  
hardi  
vestitus

Caput Undecimum

res extrà leucoparyphos, intus holoporphuros, uti de Antipatro omnia ad ostentationem modò faciente, Alexander aliquvandò pronuntiârat.

Matth: 10.

Cum autem filius Dei discipulis suis duarum tunicarum usum interdicit: non hoc postulat, ut unâ tunicâ sint contenti, si frigoris acerbitas duas postulet; sed ne metu futurorum, & avaritiæ stimulis exagitati, aliâ amiciantur, aliamque reservent ex diffidentia. Superflui amictus sollicitudo reprimitur, non necessarij cura: ne sollicitudo in perqvirendis, quibus operiantur, fiduciam in eo collocandam profligaret, qui Lilia agri tam eximio varioq; vestit ornantu; multò magis verò vestiturus eos, quos ad æternorum bonorum societatem elegerat, quosque cœlestis purpuræ splendore ornaturus erat.

Exem-  
pla Eth-  
nica.

Quantò magis admiramur etiam Ethnicarum mulierum quarundam, ex institutione virorum prudentiam, quæ temperantiam, cum alijs in rebus, tum etiam vel maximè in vestitu, ad cuius elegantiam tamen naturæ instinctu procliviores sunt, domibus suis induxerunt.

xerunt. Insuper etiam oblatum mundum pretiosissimum, auro intertextum, gemmisque ornatum, respuere. *Mibi, inquit præclare Phocionis uxor, Phocion mundus est, vigesimum jam annum Dux Atheniensis. Eodem modo Philonis conjunx, uxori, ait, satis magnificus ornatus est viri virtus & Gloria.* Outinam tandem & nostræ ætatis mulieres resipiant, & virtutem saltem ab Ethnicis, si non à sanctissimorum Patriarcharum sanctissimis matronis: Sarâ, Rebeccâ, Rachelide, Estherâ, Iudithâ & similibus, addiscant! Nostræ quædam mulieres, ad lascivientia illa vestium ornamenta, & novitates nimium pronæ, nullis parcunt sumtibus, ut illustri gratoque splendore vibrent hominum oculos, & instar pavonum incedant: nihil nisi mentem seculi hujus luxui deditam fluxam & emollitam; à Christo verò, & verâ pietate alienam detegentes. Verum vestium usum Dei spiritus monstrat, cum ab omni nos luxu avocatos, contentos esse jubet, si habuerimus alimenta, & quibus contegamur. Nihil

V u 3 enim

Vxor  
Phoci-  
onis.  
Plutarch:  
in Phoci-  
one.

Verus  
vesti-  
us.  
1. Tim: 6.  
Ecclesi: 5.

5.  
 Quia  
 vestiu  
 ornatus  
 non ve-  
 rus, sed  
 fucatus,  
 non na-  
 tiuus  
 sed af-  
 scititi-  
 us.

enim in mundum intulimus, nec inde quicquam recedentes reportaturi sumus.

Meminerimus itaque, hominem creaturarum omnium nobilissimum esse, nec decere nos à creaturis peregrinum mutuare ornatum, cum insitum habeamus, quem virtutis & pietatis studio te exornare oporteat. Si venustatem eam consideraverimus, quã primi parentes antè tristissimum illum lapsum fulserunt; hanc eorum & nostram infelicitatem deplorabimus: quod illi pulchritudine imaginis Dei insitæ minimè contenti, ascititiam & fucatum affectarunt. Sed quando quæso hæc vestiendi cura in animos eorum irrepsit? nonne cum amissâ innocentiae veste splendidissimâ; spoliati sunt imagine Dei? Quando oculi eorum aperti sunt, ut turpitudinem suam viderent? nisi quandò turpissimam Diaboli, peccati & mortis Imaginem induerunt. Tunc enim peripsomata ex folijs ficus parabant sibi. At quandò eos ipse Iehovah ovinâ pelle vestijt? Nonne cum Paradiso ejecti, terram colere, id est, terrena sapere cœpissent? Non autem holosericâ, non bombycinâ, non purpu-

purpuratâ, scissâ aut fissa, acu & arte pictâ veste eos induit, nec illam primi hi generis humani satores appetiverunt, licet rerum omnium domini extiterint, & totius orbis Monarchiam in manibus tenuerint.

Veram itaque beatitatem, cum non conferat vestitus supra modum pretiosus, videamus deinceps, an PERFECTA quædam & PERENNIS beatitas, sit in splendido & luxurioso vestitu. Cum enim solida & perfecta beatitudo nullum admittat ludum, nullis infestetur calamitatum turbinibus; sed omnem peccatoribus excutiat potius dolorem & ægritudinem: non reddet pretiosa vestis suâ pulchritudine quæquam beatiorem, etiamsi vel Salomonis vel Solonis in vestitu splendorem & impendij magnificentiam illa æquaret. Contegit quidem intus latentem tristitiam, occultat cor pressum infinitis sæpè curis, animumque mœrore languentem aut contabescentem. Sed depulsis curarum & tristitiæ nebeculis animum erigere, & exhilarare non potest.

Quinimò cum accurata illa, & supra modum

II.

Vestitus pretiosus non confert perfectam beatitatem.

I.

Quia mœrore animi tegit, non tollit.

2.

Pœnas atrocissimas accersit.

Caput Undecimum

dum magnifica cultura Deo displiceat, uti supra ostendimus, fit, ut irā Dei excitata, tragicis hi ἐν πᾶσι τοῖς sapenumerò involvantur casibus, & præsentem numinis vindictam, superbiā suā promeritam, magno suo & intolerabili malo experiantur: cujus rei evidentissimum nobis præbet Herodes Iudæorum Rex in seipso exemplum. Cum enim Cæsarex solennes ludos pro salute Cæsaris celebraret, processit summo mane in Theatrum, amictus tunicā, seu pallio talari, auro & argento artificiosè intertexta, quæ radijs ex orientis solis illustrata, mirabili modo spectatorum oculos perstrinxit, & Regi Majestatem quandam conciliavit. Quem mox adultores, in genua provoluti Deum salutarunt, rogantes, ut faveret propitius. Quæ adulatione cum delectaretur Herodes, ab Angelo Domini percussus, interijt.

Multis pretiosa vestis & elaborata, exitum attulit corporis & fortunarum omnium, multos prodidit, multos calamitatibus involvit. Vti de Ptolomæo Iubæ Regis filio Svetonius commemorat; quem accersitum Caligula

Herodes.

Astor: 11.  
Iosep: li. 19  
Antiqui:  
Iud: cap: 17

3  
Calamitatibus involvit.

ligula

ligula, & exceptum honorificè, adque spectaculorum solennitates secum ductum, præter omnium opinionem repente percussit, nullâ aliâ de causâ, quàm quòd, fulgore purpureæ abollæ sive chlamydis spectantium omnium oculos in se convertisse juvenem, Tyrannus animadvertisset; verebatur nimirum, ne favore populi aliquando, se rejecto, Rex ille crearetur. Cumque Demetrius Rex Macedoniae chlamydem ad stuporem magnificam indutus, in qua totius mundi imago, astrorumque cursus depictus fuit, prodijset; Regno Macedonico excidit. Nec quisquam Regum deinceps Macedonicorum, quantumvis elatus eam gestare ausus fuit, ob invidiosam impendij magnificentiam.

Docet præterea ipsa nos experientia, corporis mutato cultu, inductisque vestium novitatibus novam induci Reipublice formam, significarique mutationem paullo post secuturam, sive Religionis, sive Politicæ. Id quod ipsi in his regionibus experti sumus, cum paullo ante Moschi irruptionem, quâ totus Reipublice Livonicæ status immutatus est, nostri homines

Demetrius.

4.  
Mutata vestes mutata iri forma Reipublice præsagiunt.

Caput Undecimum

Vdalri-  
cus D.  
Wirt-  
temb:

Moschovitico sagulo & pileo uterentur. Quare, cum tempore Caroli V. Imperatoris Romani, HVLDERICVS Dux VVirtembergensis pius & sapiens, conspexisset Germanos imitari cultum Hispanorum, tunc frequentius in Germania commeantium; severè externo illo habitu, curtisque tunicis civibus suis interdixit, subindeque hanc repetijt & inculcavit vocem: *Peregrina vestes, peregrinos mores: peregrini mores, peregrinos hospites in Germaniam introducent.* Verum præsagium fuisse, res ipsa paullò post ostendit: Cum Hispani infusi in Germaniam, eam miserè affligerent.

Christo-  
pho: D.  
Wirt-  
temb:

Hujus laudatissimi Principis laudatissimus Filius, patri, ut in principatu, sic in pietate & prudentiâ, bono Principe dignâ, lucce-dens CHRISTOPHORVS, constantissimus superbiæ & omnis luxus osor; postquam summo animi dolore videret, velanum illum & profus inutilem laxarum caligarum usum, non inter milites modò suos, sed & inter cives urbanos, atque aulicos, supra modum invalescere, initisq; rationibus omnibus frustra vide-

de-

deretur malo increbrescenti remedium attulisse: Tandem tamē hanc rationem invenit Licetorem jussit indutū consimili habitu, fluxis laxisque caligis, & circa talos fluitantibus atq; dependentibus in publicum procedere, circa forum, in aulā, & in omni hominum frequentia obambulare. Quo facto, tantum pudorem suis incussit, ut harum caligarum usurejecto, ad saniolem mentem redirent, ne carnicis æmuli viderentur. Imitati postea hoc exemplum sunt multi alij Principes & Rerumpub: gubernatores, inter quos meritò primas tenent Lubecenses, qui, ut omnia in suā Repub; ritè & sapienter ordinata habent: ita & huic malo eodem tempore idem remedium attulerunt. Idem & reliquarum civitatum Vandalicarū Magistratus fecerunt, quo suos ab abominandā illā vestitus ratione, ad saniolem mentem prudenter revocarunt.

Sed quid intuentur hodiè oculi nostri, cum acerbissimo animorum nostrorum dolore? Nihil profectò, nisi fastum illum intolerabilem, Deoque Angelis & hominibus sanis, & aliquā saltem pietate imbutis, displicentem:

Caput Undecimum

illam, inquam, eviratorum hominum seculis  
inauditam luxuriam, procacem simul & su-  
perbam, cœcam & amentem, novitatibus in-  
mensis & dies insuper auctam, & ab omni-  
bus circumcirca nationibus particulatim  
emendicatam. Cum enim peregrinationes  
ament nostri homines, quocunq̃ue locorum  
veniunt, eorum hominum habitum imitan-  
tur: domum reversi eundem retinent, ut  
conspiciantur, ad exteras usq̃ue nationes, pe-  
regrinatos fuisse. Hunc postea & alij fatui i-  
mitantur. Turcarum fasciæ tempora nostra  
cingunt. Italicis pallijs, Tartarico & Vngari-  
co talari; Hispanicis caligis & thoracibus ad  
nauseam tumentibus, delectamur.

At utinam ea tempora oculis nostris non  
cerneremus præsentia, quibus eadem sint re-  
petituræ hæ nationes, cum maximo nostro  
malo. Deploramus quidem hanc filiorum  
hujus seculi insaniam; at mentem illis melio-  
rem instillare non possumus! Obtinet enim  
Mundus antiquum, nec patitur vitia sua emē-  
dari. Deus ipse frustra hic laborare videtur,  
tot signis editis in omnibus mundi partibus,

tot

tot monstrosis partibus, tot pœnis & tantâ  
annonæ caritate. Magistratus, piâ curâ, & le-  
gibus sumptuarijs, oleum & operam simul  
perdit, jmdò oleum camino potius infundere  
videtur, & fomenta igni addere, ut, dum ex-  
stingvere illum conatur, augeat potius, & am-  
putato uno, hydræ hujus abominandæ atque  
horribilis capite, plurima renascantur. A-  
deò corruptis sumus ingenijs, & has vanita-  
tes amantibus! Deus nostri misereatur.  
Num igitur quicquam veræ, perfectæ & per-  
ennis Beatitatis putas inesse, in hac tam  
stultâ & luxuriosâ vestitus cura  
& sollicitudine?



Cap: duo

CAP: DVODECIMVM.  
DE ANIMI BONIS.

*Sed quid ad beatè vivendum faciunt Ani-  
mi bona?*

**C**orporis & fortunæ bona, ha-  
ctenus ad veræ rationis trutinam re-  
vocavimus, eaq; omnia nihil omni-  
nò ad εὐδαιμονίαν, vitamque beatam condu-  
cere, nec verum, solidum & perenne Gaudium  
in animis nostris excitare, firmissimis rationi-  
bus ostendimus, sacrarum literarum & sapi-  
entum Ethnicorum sententijs declaravimus,  
& omnium ætatum exemplis evicimus. Re-  
stant nunc animi Bona discutienda, inqvi-  
rendumque, an non in his Bonis animi præ-  
stantissimis, quæque suâ integritate, venusta-  
te, & splendore, sapientum omnium calculo,  
longo post se intervallo, corporis & fortunæ  
bona relinqvunt; vita beata consistat? & an  
non verum, perfectum, perenne gaudium, in  
hoc bonorum fastigio sit collocatum?

Sunt autem animi bona quorum sedes est  
in ipsa

*Quæ  
sint bo-*

in ipsâ animâ, præstantissimâ hominis parte,  
& circa quæ animus hominis occupatus, vi-  
tam agit veram, homineque dignissimam: ut  
sunt Sapientia, Prudentia, honestæ artes, acti-  
ones & studium virtutum omnium. Ac faten-  
dum quidem est, præstantissimos omnium  
qui vnquam fuerunt Philosophos, in his Bo-  
nis vitâ beatam constituisse, dum horum ac-  
quisitione bonorum, beatos atque adeò bea-  
tissimos se esse affirmârunt. Et aperiret sese  
nobis hîc latissimus scribendi campus, si o-  
mnes omnium sapientum sententias collige-  
re, & quid de his bonis statuerint, recensere  
vellemus & nisi laxata jam dudum vela con-  
trahenda essent.

Aristoteles, Socrates, Plato, Cicero, virtutem  
præclaris ornant Elogijs, ingenti laude ad  
astra tollunt, & vitam verè beatam in ea con-  
sistere, arbitrantur. Et profectò ratio humana,  
aspiciens vniversa, quæ sunt in rerum natura,  
bona, eaque inter se conferens, nullum cernit  
virtute & sapientiâ jucundius, amabilius,  
præclarior bonum, aut sanctius. Itaq; non po-  
test aliter judicare, quàm in his vitam bea-  
tam

na ani-  
mi.

*Diony-*  
*sus.*

*Ale-*  
*xand:*  
*M.*

*Scipio.*

*Sigif-*  
*mundus.*

tam esse collocatam. Sapientia namq; & virtutum studia, omnibus seculis in pretio & magna admiratione fuerunt, & praestantissimi quique, homines ingenio, eruditione, eloquentia & virtute praeclaros amarunt, summisque Gloriae & Honoris ornamentis sunt prosecuti. Dionysius Syracusanus, in magno pretio habuit viros doctos, & praecipue admirabatur Dionem & Platonem, quos magnis impendijs accersitos colebat. Alexandri M. regia instar Academiae nituit frequentia Philosophorum, & quocunque profectus est, cohortes doctissimorum hominum secum duxit. Scipio Africanus, Ptolomaeus Philadelphus, Augustus, Iulius Caesar, Adrianus, Severus, Constantinus M. Theodosius junior, Carolus M. Sigismundus Imperator, ut ipsi praeclare literis instructi fuerunt: ita egregia doctrina & virtute viros, humaniter & clementer amplexi, regiaque munificentia prosecuti sunt. Sigismundus enim aliquando increpatus ab aulicis nobilibus, qui indignabatur, quod literatos ipsis in distribuendis muneribus & dignitatibus praeferebat; respondit:

*Illos*

Illos merito observo, quos natura præ alijs excellere voluit. Cumque præstantissimum illum jureconsultum GEORGIVM FISCELLINVM Equestri ordinis insignibus donasset, & ille Basileæ in celebri ordinum conventu animi dubius hæreret, utrum Equitibus vel jureconsultis sese conjungeret, tandemque ad equites concederet: *Stulte agis, inquit Cæsar, quod literis militiam præfers. Nam ego mille Equites uno die crearem; doctorem vero unum mille annis non effecerim.* Tantâ in æstimatione prudentissimus hic Imperator literas habuit! Et nostra hæc ætas plurimos vidit ejusmodi Reges & Principes. Literis erat egregiè excultus FERDINANDVS Imperator Rom: D. STEPHANVS laudatissimus Rex Poloniæ, IOHANNES ALBERTVS Dux Megapolensis, & multi alij, quorum memoriam nulla deletura est oblivio. In literis versati sunt, Administrator electoratus Saxonix, Fridericus Guilelmus, Elector Brandenburgensis, Ioachimus Fridericus. Philippus Princeps Pomeraniæ, nuper ex Gallicis Italicisque Academijs omni politiori literaturâ excultum

Geor-  
gius Fis-  
cellinus

pectus domum referens. Cui meritò adnume-  
 randus Guilhelmus Princeps Curlãdiã, decus  
 Academiãrum Germanicarum, ejusque frater  
 Fridericus, Princeps laudatissimus, ambo ab  
 ineunte ætate in literis instituti, alijque multi  
 cellissimi Germaniã Principes. Adde his se-  
 renissimum Regem Daniã Fridericum, &  
 duos Sigismundos, Serenissimum Regẽ Polo-  
 niã Sigismundum tertium, & Illustrissimum  
 Ducẽ Megapol. Sigismundi loh: Alber. filium  
 eruditionis & virtutum paternarum, non mi-  
 nus, quàm Ducatus & dignitatum hæredem.

*Animi  
 bona nõ  
 faciunt  
 vitam  
 verè be-  
 atam.*

I.

*Quia  
 ardua  
 ejus &  
 laborio-  
 sa acqui*

Et quis ignorat, literas, artes & disciplinas,  
 sapientiam, virtutis & pietatis studium, egre-  
 gia Dei esse dona, singulari Dei bonitate ho-  
 minibus concessa, quibus vita ipsorum exco-  
 litur; nec tamen illa quicquam ad vitam verè  
 beatam facere, ostendere conabimur.

Et si enim præstantissimi Philosophi Ari-  
 stoteles, Plato, Cicero, &c. vitam beatam tum  
 in virtute, tum in actione virtutum consistere,  
 arbitrati sunt: tamen cum arduum planè sit  
 virtutis studium & laboriosa acquisitio: &  
 artium atque literarum scientia, non nisi sum-  
 mo la-

mo labore & sudore, ingentibus curis & molestijs acquiratur, & bona pars vitæ nostræ, comparandis his animi bonis, inter summas difficultates & cruciatus consumatur: vitam beatam, quæ omnium curarum & molestiarum planè expers esse debet, animi bona non efficere, manifestum est.

Qvis quæso Salomone Rege scientiâ rerumq; omnium, quæ sub sole sunt, scientiâ instructior? quis illustrior? sed audiamus ipsû de infinitis molestijs & laboribus suis, in ipsâ rerum omnium investigatione conquerentem: Ego, inquit, Ecclesiastes fui Rex Israël, & proposui in animo meo, quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, ut occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus. Perversi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes scientiâ, qui fuerunt ante me in Ierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter & didici. Dediq; cor  
Ty 2 meum,

fitio plena erūnis.

Salomon.

Ecclesiast: cap: 1.

Caput Duodecimum

meum, ut scirem prudentiam atq; doctrinam,  
erroresq; Stultitiam, & agnovi quod in his  
quovq; esset labor & afflictio spiritus, eò quod  
in multa sapientia, multa sit indignatio, &  
qui addit scientiam, addit & laborem.

2.  
*Livore  
comitē  
habet sa  
pientia  
& vir-  
tutis  
studiū.*

Eccle:7.

Quo vel unico dicto Rex sapientissi-  
mus nobis ob oculos ponit, omnes illas diffi-  
cultatum molestias, quas devorare coguntur,  
qui vel literarum vel virtutis studijs incum-  
bunt, quibus laboribus & molestijs cum ac-  
cesserint lividi dentis, optima quæq; arroden-  
tis scommata, ut est virtutis & industriæ co-  
mes invidia, frangunt illa sæpenumero hone-  
stum hoc bonorum propositum, torquent &  
excruciant animum, & frangunt robur cordis  
ejus, summoque mœrore contaminant vitam,  
quam beatam illi vocant & felicem. O mise-  
ram vitam, tot æumnis, tot cruciatibus, tot  
calumnijs, dicerijs & odio invidorum expo-  
sitam!

3.  
*Creat  
pericu-  
lum cor*

Quin ipsâ experienciâ magistrâ didici-  
mus, permultos homines, summo ingenio &  
eruditione præditos, ob virtutis & doctrinæ  
excellentiâ, in ipsam vitæ discrimen sæpe-  
nume-

numero incidisse? nonne videmus quotidie eos, qui livoris æstro perciti, invidiæ rabie laborant, alijs viris bonis & eminentioris doctrinæ aut virtutis infinitas insidias struere, eosq; artibus varijs circumvenire, donec tandem eos sic premant ut opprimant, aut mergant, amplius unquam ne emergant. An non eodem modo Socrates, quo nemo etiam Apollinis oraculo, vel sapientior vel eruditior, vel vitæ quoq; innocentiam, fide, & integritate purior, ab invidis collegis oppressus est? Tertullianum virum integerrimum, & eximium Ecclesiæ doctorem, Clerus Romanus, ob eloquentiam admirandam, & reliquas dotes præcellentes, odio plus quam vatiniano, persecutus est. Quæ res ita eum momordit, ita viri illius pectus concussit atque emollivit, ut mutatâ sententiâ, ex constantissimo veritatis assertore, acerrimus ejusdem hostis, ex propugnatore oppugnator, & ex Catholico Doctore, Montanici furoris sectator factus sit.

Hanc aleam subjicit Gregorius Nazianzenus, tantus Ecclesiæ doctor. Hanc sortem tulit Athanasius; non nisi ob præclaram eru-

poris, fama, bonorum.

Socrates.

Tertullianus.

Gregorius Nazianzenus.

Athanasius.

Caput Duodecimum

ditionem, eloquentiæ flumen, virtutem & pietatem, quibus Alexandrum multis modis superavit, omnibus invidiæ telis expositus. Quibus ille non petitus est calumnijs? quibus non figmentis, veritatis fucō linitis, gloriam nominis ejus denigrare Arriani studuerunt? quibus non denique impudentissimis & putidissimis mendacijs, periculum vitæ struere, labemque & maculam virtutibus ejus aspergere iidem conati sunt? Hoc præmium est laborum & industriæ, virtutis & pietatis, in hoc seculo viris, summo ingenio, præclarâ eruditione, egregiâ virtute, & singulari pietatis & eloquentiæ laude ornatis! Hæc est præclara illa beatitas quam gignunt sapientia & virtutis studia!

4.  
Reddit  
homi-  
nes su-  
perbos  
& in-  
flatos.  
1. Cor: 8.

Quod si fortè hæc insignes & præclarissimæ animi dotes, inciderint in hominem naturâ superbum & inflatum, quem ipsæ literæ emolliere & humaniorem reddere nequeant; Verum efficitur quod alioquin Apostolus dicebat: *scientia inflat*. Accidit enim sæpenumero, ut homines eruditione & eloquentiâ præditi, cum sua dona intuentur, putent se limilem

lem non habere, se multis parasangis reliquos omnes anteire. Ingentes itaque animo concipere spiritus, se tuaque omnia extollere, & modo non sublimi, ut Poëtæ verbis utar, ferre sydera vertice, omnes fastidiosè præ se contènerè, se solos lynceos putare, reliquos omnes fungos & stipites esse, aut statuas verveceas & margites, in quibus profus nihil sit falsuginis.

Præterea eò rem devenisse cum ingenti animorum nostrorum dolore videmus, ut multi donis divinitus concessis, miserè abutantur: non, ut honore & gloriâ afficiât illum, cui omnia sua accepta referre debebant: neque ad utilitatem proximi & ædificationem totius corporis Christi, ut D. monet Apostolus; sed in id summâ animi contentione eniuntur, ut suum tantummodò commodum promoveant, seipsos humo tollant, magnum nominis splendorem sibi acquirant, auremque captent popularem, ut soli profundioris eruditionis, limatioreis judicij, acrioris ingenij, politioris lingvæ, laudem & existimationem reportent. Quinimò eò usque degenerare, proh dolor, hæc animi bona videmus, ut quibus

*s.*  
*Abusus*  
*donorū*  
*multi-*  
*plex.*

Caput Duodecimum

bus Deo inservire, proximoque prodesse homines debebant; his ad Dei omnipotentis ignominiam & proximi interitum potius abutantur. Quæque animi dotes pulcherrimæ, instrumenta laudum divinarum esse debebant; hæc tristi metamorphosi ita convertuntur, ut Organa sint & media, quibus Deus contumeliâ afficiatur: proximo incommoda creentur innumera & immensa, Opes itidem & fortunæ ejus omnes exhauriantur, fama lædatur, existimatio violetur, vitæ struantur insidiæ, adeoque ipsa animarum salus in dubium exitiale vocetur. Periculum facere licebit, si vel unius eloquentiæ & facundiæ donum, ejusque abusum multiplicem, defixis in totum hujus mundi theatrum, omnesque vitæ condiciones & ordines oculis, consideraveris: alme Deus, quantum miseriarum pelagus in Ecclesia, quantum malorum lernam in Politijs, & privatâ singulorum vitâ, ab hominibus disertis, solo eloquentiæ flumine excitatam, deprehendes? Qui abusus, etsi à vero rei usu, intervallo omnium longissimo disjungendus erat: quia tamen hæc ita fieri vide-

videmus, omni ratione concludimus, vitam beatam non consistere in his animi bonis.

*In animi bonis an perfecta aut perennis Beatitas.*

**V**irtutis studium, sapientiæ & eloquentiæ dona, minimè perfectam & perennem beatitudinem conferre, satis sanorum omnium iudicio constat; cum ipsa neutiquàm sint aliquàm perfectione commendata. Dignæ sunt quidem artes & scientiæ, quæ ab omnibus, effusissimis laudum encomijs celebrentur, & amplissimis elogijs exornentur: At multa esse in artibus & disciplinis, adeoque in universâ Philosophiâ, manca & imperfecta, multa, quæ uberiores demonstrationes desiderent; nemo est opinor qui inficias ibit, si modò in ijs aliquantisper versatus fuerit. Multa quoque arcana in illis comprehendi, ad quæ vis ingenij humani penetrare non possit; communi eruditorum omnium calculo comprobatur. Tametsi nec hoc ignorem, hunc defectum ipsis artibus & facultatibus non posse imputari, sed imbecillitati ingeniorum. At hoc ipsum est, de quo conquerimur. Si

Zz

namq;

Caput Duodecimum

namque nullum est tantum rationis & ingenij humani acumen, quod possit ad sublime illud scientiarum fastigium penetrare, perfectissimamque inde rerum cognitionem haurire; quid in artibus & scientijs, quarum perfectam notitiam nemo mortalium adipiscitur, perfectam beatitatem quærimus, & frustra quærimus, quod obtinere non possumus?

3.  
*Animi  
bona  
perenni  
non  
sunt.*

Idem esto de STABILI & perenni, in scientijs omnibusque animi bonis, beatitudine iudicium. Ut enim omnia in hoc seculo, adeoque ipsum τὸ κῆμα, seu habitus hujus mundi, de crescit, defluit, præterit, labitur & tandem prorsus perit: Ita quoque animi bona omnia, temporis progressu minuuntur, & penitus obsolescunt. Vacillat memoria, deflorescit ingenium, labascit prudentia, flaccescit virtutum omnium studium, degeneratque subindè in pessima tererrimaque vitia.

*Georgi  
us Tra-  
pezun-  
tius.*

Aetate Ciceronis, quidam Grammaticus omnem artem suam oblivioni dederat, ita ut viginti quatuor Alphabeti literas recitare amplius non noverit. Quod ipsum & de Georgio Trapezuntio, insigni illo Grammatico, de

de utrâque literaturâ præclarè merito , commemoratur, quòd in ultimâ senectâ , omnem rerum scientiam & eruditionem planè amiserit , ac si nunquam literis operam dedisset. Non contemnendos in Philosophiâ fructus fecerat M. Antonius Caracalla: verum ipsum postea tanta cepit omnis doctrinæ oblivio , ac si nomen literarum nunquam audivisset.

Tanta est ingenij humani in hoc campo letheo infirmitas , ut nisi quotidie eadem repetiverimus , facilè memoriâ excidant : & in oblivionem veniunt sæpenuerò amici , quibuscum antè aliquot annos conversati sumus : & levi occasione aliquid ejusmodi obtingere nobis potest , quo ingenium læsum aut violatum , aut aliquâ morbi , casus , vel jctus , injuriâ affectum ; omnem vigorem pristinum amittat. Vini & potus abundantia infirmatur. Ebrietas quotidiana memoriæ mors est. Cujus rei exempla non pauca à Plinio commemorantur , uti , de quodam lapide icto , unde literas oblitus fuerit omnes , porrò cætera , tenacissimâ retinens memoriâ : deque lapso ex præalto tecto , qui matris & affini-

Anto-  
nius  
Caracalla.

Lib: 7.  
cap: 24.  
Nat: histæ

Caput Duodecimum

Messa-  
la cor-  
vinus  
Ibraces

Didy-  
mus  
Gram-  
maticus

Nebu-  
cadne-  
sar.

nium & propinquorum nomina oblitus sit: Sed & de ægroto, qui servorum, deque Messalâ corvino Oratore, quem proprij nominis ceperit oblivio. De Thracibus quidem scribunt, quod ad eò obtuso fuerint ingenio, ut ultra quaternarium numerando progressi non sint.

Nec defuerunt, qui in summis ingenijs & præstantissimis viris, Cicerone, Plutarcho, atque ad eò ipso Aristotele vacillantis memoriæ exemplaprehenderint. Et Didymus Grammaticus, quo neminem ajunt plura scripsisse, deficientem memoriam prodidit suam; cum historiæ cuidam pertinacius repugnaret, quam tamen ipse scripsisse, prolato libro convictus fuit. An non testantur sacræ literæ, divinam vindictam insolentis ingenij fastum reprimentem, Nebucadnesari memoriam felicem in beluinam rabiem convertisse.

Quocirca tandem omni ratione concludimus, neque in corporis, neque in Fortunæ, neque in ipso animi bonorum fastigio, vitam beatam contineri. Proinde multò sublimius, multò nobilius & præstantius bonum sit  
necef-

necesse est, quòd vitam verè & perfectè beatam, citra omnem defectionis aut imperfectionis notam vel maculam conferat: Cujusmodi beatitatem, omnia hujus mundi bona, suo ambitu & complexu nequaquam continere; hæctenus satis demonstratum esse arbitramur.

CAPVT DECIMVM

TERTIVM.

*AN OMNIVM HVIVS SE-  
culi bonorum possessione, sive fruitione,  
humanus animus exatiari  
possit?*

**R**estat adhuc unica bonorum hujus seculi conditio dispicienda, quæ non minus quam tres priores, ad rationè vitæ beatæ, summiq; boni, unde vita beata dependet, requiritur. Consultò tamen ad hunc usque locum reservata. Ea est, ut bonum si obtinere nomen summi debeat, non verum modò sit, & perfectum, & stabile, sed etiã planè ejusmodi, ut animũ possidentis exatiari

Caput Duodecimum

tiare protinus possit: ita ut hoc acquisito  
planè conquiescat, nec ulterius desideret quic-  
quam, in hoc se oblectet, habeatque omne id  
quod desiderat, nec quicquam desideret, in eo  
quod abundè non inveniatur: quòve potito,  
quieto deinceps & tranquillo mentis statu  
perfruatur. Omnibus itaq; & singulis hujus  
vitæ bonis, Corporis, Fortunæ, Animi, ad di-  
ligentem veri judicij lancem revocatis; nihil  
omnino invenire licet, in quo, si eo adipisca-  
tur, animus humanus, eo quo prædiximus  
modo conquiescat, nihilque amplius deside-  
ret. Itaque ubi demonstraverimus, ita com-  
paratum esse nobiscum, ut animi nostri nul-  
lo omninò hujus seculi bono, quantumvis  
jucundo & pellucibili, satientur & tranquil-  
lentur, in victo nobis erit argumento. veram  
felicitatem, beatitudinem & summum bo-  
num, hujus Mundi bonorum ambitu non  
comprehendi.

I.  
Divi-  
tia non  
satiant  
animos  
hominū

Et ut à Divitiis sive opibus ordiamur, ma-  
nifestum est, ijs non saturari animos hominū,  
ita ut partis bonis fruantur, ijsq; sint conten-  
ti, nec plura desiderent. Etiam si totius mundi  
opes

opes quis quam solus possideret, in tantâ copiâ  
deprehenderes summam inopiam, uti supra  
quoque demonstravimus, ita ut inter opes  
mendicus opum semper avarus egeret, & plu-  
ra se expetere fateretur. Rectè itaque Salo-  
mon inquit: *Infernus & perditio nunquam  
implentur: Similiter & oculi hominum insa-  
tiabiles. Venter etiam impiorum insatiabilis.*  
Et Ecclesiastes, *Non saturatur oculus visu,  
nec auris auditu impletur.* Horatius avaros  
insectatur

*At bona pars hominum decepta cupidine falso  
Nil satis est inquit &c:*

Seneca cor insatiabile hominis comparat ca-  
ni voracissimo, qui licet fauces plenas habeat,  
appetit tamen plura, dumque umbræ inhiat,  
bolum quod faucibus tenet, ut canis ille Ae-  
sopicus, amittit.

Id quod CRASSO contigit, ditissimo olim  
Romanorum, qui cum quod satis erat nun-  
quam habebat, audiens de templi Ierosoly-  
mitani, deque Parthorum opibus, omnia sua  
consilia huc contulit, ut his potiretur; verum  
spe sua deceptus, dum aliena affectavit, sua  
unâ

Prov: 27.

Cap: 13.

Cap: 11.

CRASSO.

Caput Duodecimum

unà cum vitâ perdidit. Capto enim & occi-  
so aurum infudère liquefactum mortuo Par-  
thi. *Aurum, dicentes, sitijsti, aurum bibe.*

Vnde Iuvenalis

*Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia  
crescit*

*Et cum possideant plurima plura petunt.*

2.  
Gloria  
& Ho-  
nores.

Ad eundem planè modū, GLORIAE & honoris  
æstro percitus animus hominis, exaturari ne-  
quit, & quo pluribus cumulatur honoribus,  
plures semper desiderat, nec satis est inquit:  
Qvemadmodum Alexander M. totius orbis  
imperio immensam Gloriæ sitim eluere haud  
potuit. Et in ipsa juventute, postquàm Phi-  
losophos disputantes audivisset, plures esse  
Mundos, in lachrymas solutus est; quòd nec  
dum unius mundi dominus factus fuerit.  
Posteà verò ubi Persicæ Monarchiæ potiun-  
dæ animum adjecisset: nullas omninò pa-  
cis condiciones etiam æquissimas, à Dario  
propositas admittere voluit; sed illi renunciari  
iussit: se in Asiam non venisse ab alijs ut ac-  
ciperet; sed alijs ut daret. Utque Mundus duos  
foles ferre non posset: Ita nec duo summa  
regna

Curtius  
lib: 4. pag:  
mihî 127.

De Animi Bonis.

Regna ferre posse. Proinde aut imperata faciat, aut in crastinum bellum expectet.

Sed de MARIO quid reminiscor me apud Plutarchum legisse? Septuagenarius ille, & primus inter mortales septimum Consul factus; ad summum gloriae fastigium ascendit: In ipso tamen agone mortis ambitiosi spiritus signa ostendit; dum sortem lamentaretur suam, quasi immature mortis interventu, omnes sibi aditus ad gloriam resque maximas conficiendas praecluderentur. Dies noctesque cum Mithridate bellum meditabatur, cujus gerendi formam tam validam cogitatione menti impressera, ut indelirium evaserit. Et decumbens imaginatus sibi sit, bellum se gerere cum Mithridate, & tales gestus ac varios corporis motus, cum crebris jubilis & clamoribus habuerit, quales in praelio exhibere solitus fuerat. Eodem modo de Scylla, Pompejo, Iulio Caesare legimus, quod nunquam tantis tam eminentibus dignitatum honorumque gradibus ornati fuerint; ut his contenti, non expectaverint subinde majores.

CAESAR ad summam Imperij dignitatem

A a a

perve-

Mari-  
us.

Caesar.

Caput Duodecimum,

pervenerat; nec tamen quiescere potuit. Censuram postquam consecutus esset, cognomen Patris Patriæ (quod ante eum primus Cicero meruit) affectavit. Quo adepto, statuum suam inter Reges locare contendit. Et hoc obtento, sellam auream in curia posuit. Et ulterius progressus, dictatotis perpetui nomen & dignitatem (quod ante eum nemo) obtinuit. Nec his contentus, eò arrogantiam processit, ut singula verba sua singulas leges esse voluerit. Quinimò Regis nomine & titulo, quamvis id adhuc dissimularet, delectabatur: nec coram senatu assurgere amplius sustinuit. Cumque ambitio ejus omnium dignitatum humanarum fastigium superasset, ut quo altius iret non haberet; divinos honores fieri sibi voluit. Ita animus humanus modum in rebus servare nescius, & quò acquiescat non inveniens; **PLVS ULTRA** desiderat. Vnde hoc ipsum **PLVS ULTRA**, magnis Regibus ita familiare fuit, ut loco symboli eo uterentur.

Regna  
& Imperia.

Idem de Regnis, Imperijs, ac dignitatibus judicium: quorum accessione & augmento, tantum abest, ut hominum mentes satientur, ut etiam,

ut etiam, quò majus Imperium, quò ampliora regna homines adipiscuntur, eò majora desiderent: quò augustius Dominium possident, & latius Imperium administrandum consecuti sunt: tantò magis crescat regnandi cupido, & ardor ille insatiabilis: atque adeò híc quoq; quò plus sunt potè plus siciuntur aquæ. Fuerunt, quibus totus non sufficiebat orbis terrarum.

Quòd si per Alexandrum M. stetit, neq; segnities atq; vecordia militum, ejus conatus impedivisset, quid illum non facturum fuisse credimus? certè non constituisset Gaudem Indiæ ulterioris fluvium, terminum victoriarum & gloriæ suæ, neque arma deposuisset; nisi priùs omnibus orbis terrarum angulis peragratis, eos suo imperio subjecisset.

Nam ut est autor Plutarchus, quamvis paulò aliter Curtius: cum milites Alexandri M. ob difficilem cum Poro Indiæ Rege pugnam, pertæsi militiæ & itinerum, & ob stupendam fluminis latitudinem, duorum videlicet & triginta stadiorum, & profunditatem centum ulnarum, ingentemq; Indorum, eos in ulte-

Alex.  
M.

Caput Duodecimum

fiore ripâ, cum sex millibus Elephantorum, præstolantium copiam; Ganden transire nolissent: Rex animi mœrore & irâ perculsus, in tabernaculum sese abdidit, & præ furore in terram prostratus; omnes victorias suas pro nihilo reputavit, pœnituitque illum rerum ab se gestarum omnium.

Cyrus.

Idem in CYRO affectus, cui non satis erat totius orbis imperium, captâ Babylone, & devicto Astyage Medorum Rege, regno suo Persico adjecisse, & hoc modo Monarchiam novam condidisse: At quæ dira Erinnyis furijis eum exagitavit tam cœcis & noxijs? ut non contentus tanto imperio; opibus & regno, Massagetarum inhiaret? à sceminâ devictâ quæ gloriâ? At victus à sceminâ tantâ strage, ne nuncius quidem ejus superstes manserit; summam reportavit pro gloriâ ignominiam.

Xerxes.

Sed quid de XERXE dicemus? Huic ne sufficiebant immensæ opes à tot Regibus Persicis collectæ, totiùsve orientis Imperium? Græciam anhelans sitivit. At illa intollerabilem hanc sitim ita compescuit atque restinxit, ut la-

ut laceſſere eam & ſitire amplius non ſuſtine-  
rit.

Quæ res HERODEM Galileæ tetrarcham  
ſtimulavit, ut Aprippæ regno parum honeſtis  
rationibus inſidiaretur; niſi avaritia uxoris  
Herodiadis, indignè ferentis, Agrippam fra-  
trem ſuum, ad blandiſſimo Caligulæ, Regiam  
dignitatem obtinuiſſe; ſuum verò maritum  
Herodem, tantummodò tetrarchiâ Galileæ  
contentum eſſe debere. Herodes itaq; huius  
inſtinctu atque compulſu, ad Cajum profe-  
ctus, falſis & fictis criminationibus, affinem  
regno exuere tentavit; ſed ſpe defraudatus, mu-  
tatâque fortunâ, in exilium cum uxore pul-  
ſus, tetrarchiâ exutus eſt: quam illi relinquere  
coactus fuit, cujus regnum temerè affectavit.  
Agrippa enim cognitis inſidijs, miſit qui He-  
rodem coràm Caligulâ proditionis & conſpi-  
rationis cum Artabano Partho, reum age-  
rent & convincerent.

Quàm prolixè & luculenter deſcribit Cro-  
merus inſatiabilem VLADISLAI Ducis Po-  
loniæ æſtum invadendi fratrum ſuorum diti-  
ones? Nam cum eodem planè quo Hero-

Hero-  
des.  
Iosephus  
lib: 18.  
cap: 9.

Vladis-  
laus.  
In Principis  
lib: 6. Croni-  
ni: Pole.

Caput Duodecimum

des modo, svasu & instinctu conjugis suæ Christi-  
stinæ Henrici 5. Imperatoris Romani filix,  
mulieris ambitiosæ & avaræ, reliquos tres fra-  
tres, ut solus Poloniam obtineret totam (quam  
tamen pater Ladislaus testamento in partes  
æquales inter quatuor filios diviserat) ditioni-  
bus spoliare constituisset; nullis fratrum pre-  
cibus, nullis obtestationibus, nullâ totius  
regni, sacrorumque hominum intercessio-  
ne, à nefario proposito revocari se passus  
est. Fratres itaque Posnaniæ obsidione  
cinxit, pressit, & in maximas angustias re-  
degit. Necessitas desperatis consilium sup-  
peditavit, animum addidit, arma præbuit:  
Quibus correptis, factâ eruptione, castra fu-  
rentes secura invadunt: & accidit mirabili Dei  
judicio, ut qui jam triumphare fermè & fra-  
tres in potestatem suam redegissee videbatur, à  
fratribus victus, ditione propriâ exutus, & o-  
mni Poloniâ ejectus, unâ cum uxore in Ger-  
mania contabuerit. O dementiam homi-  
num alienis bonis inhiantium detestandam!  
O inexplebilem avaritiam! Animalium o-  
mnium miserrimo animalculo, eoque super-  
bissi-

*De Animi Bonis.*

bissimo, quod exiguo aëre clauditur, parvoq;  
loco continetur; non sufficit totus terrarum  
orbis, non tot regiones & populi ad obsequi-  
um parati? Vni ex omnibus terræ marisque  
partibus nunquam quòd satis est advehitur:  
Vni omnia parantur: uni cògeruntur omnia;  
nec tamen uni omnia sufficiunt, neque unius  
avaritia expleri potest!

PHILIPPVS prudentissimus ille Impera-  
tor, cum aliquandò in hippodromo delapsus  
ab equo, & resurgens, locum quo in arena ja-  
cuerat intueretur, ad suos conversus dixerat:  
Ecce quàm exigua area nos capiat, qui totius  
orbis dominium stultè affectamus.

Sed quid de animi bonis, & imprimis de sa-  
pientiâ eruditione & scientiâ? putabimus ne  
literas tam tranquillâ reddere hominum  
mentes, ut his præclare imbutæ acquiescant,  
nihilq; ulterius desiderent? nequaquam. Con-  
trarium monstrat experientia, si quandò ho-  
minum doctissimorum studia & conatus, ac-  
curatius penitiùsq; inspexerimus. Ita com-  
parati sunt ingenijs homines docti, ut quò ma-  
jores in omni liberali disciplinâ progressus fe-  
cerint;

*Bona  
Animi.*

## Caput Duodecimum

cerunt; eò altius surgere, nec prius quiescere aut discendi finem facere cupiunt, quàm ipsum scientiarum apicem attigerint: Ac licet quis totam Cyclopædiam absolverit, non satis est, inquiet.

Accedit & illud, quòd in frequenti usu esse videmus, ut quo doctiores sunt viri, eo se minus didicisse profiteantur. Cum enim ignorant, quàm longa sit ars, quantumque requiratur ad veram solidamque eruditionem; semper discere cupiunt, nec tantum se didicisse arbitrantur, quantum restat ipsis discendum: Cum contrà qui vix primoribus labris, literas degustarunt, & vix limina Musarum attigerunt, se omnium doctissimos esse sibi pessimè persuasum habeant.

Corpo-  
ris vo-  
luptates

Quid verò de corporis voluptatibus in medium proferemus? illæ nè usque adeò demulcere animos hominum suâ possunt dulcedine, ut ijs satientur. Quod si mores & consuetudines hominum, corporis voluptatibus indulgentium, penitùs observaverimus, si ipsarum voluptatum ingenium & naturam, recti iudicij lance perpenderit; nullam profectò  
in hoc

*De Animi Bonis.*

in hoc seculo voluptatem deprehendemus a-  
deò amabilem & jucundam, quæ suavitate &  
dulcedine suâ ita detineat hominum mentes,  
ut absque omni satietate & nausæâ ijs vel bre-  
vi temporis spatio fruantur.

Conferat sese quisquam ad lautissimum,  
rebusque omnibus, quæ hilaritatem quoquo  
modo ciere possunt, instructissimum convi-  
vium, exporrigat frontem, demat supercilio  
nubem; habebit sanè quo se recreet, quo tri-  
stitiæ nebeculas depellat, animumque; curis rele-  
vet? paucissimis tamen horis, non dicam die-  
bus, tanta eum capiet omnis hilaritatis & ju-  
cundæ sodalitatis satietas; ut nihil magis ex-  
optet, nihil magis habeat in votis, nisi ut lice-  
at surgere sibi, domumque; repetere.

Rus ubi se contulerit, ut frontem liberius  
exerat, dolorem & ægitudinem animo abster-  
gat, recentemque auram captet; altera vel ter-  
tia dies, tædium voluptatum omnium ingen-  
tem afferet, satietatemque; lautitiarum omnium  
pariet. Itaque domum expetet, domum re-  
dire desiderabit, domum omnibus modis  
contendet. Hortum si ingressus fueris animi

*Convi-  
vium.*

*Rus.*

*Hortus.*

Caput Decimum tertium

recreandi gratiâ, sit sanè is amœnissimus fragrantissimusque, & vernantium florum, rosarum, flosculorum copiâ instructissimus; nulla tamen erit tantarum deliciarum dulcedo, nulla tanta optimorum jucundissimorumq; florum suavitas, aut consitarum arborum varietas, ut detinere te uno aut altero die suâ amœnitate longius possit, aut animum tuum ita recreare, ut nullâ tandem ejus satietate afficiatur.

*Musica*

Quinimò ipsa *MUSICA*, quâ nihil in rebus humanis dulcius, nihil recreandis reficiendisque animis curarum mole pressis & anhelantibus, efficacius in hoc mundo, à Deo hominibus concessum est; hæc tamen si nimia fuerit, satias indè haud exigua suborietur mentibus humanis, tandem quoque nauseam ingentem movebit res tam dulcis & amœna.

Compendio dicam, nihil est in rebus humanis quod tantâ venustatis specie oblectet, tanto Majestatis splendore niteat, tantâ lætitia afficiat, tantâ jucunditate recreet, ut in eo cor hominis ita acquiescat, nihil amplius ut desideret; aut quod ita homo desideret, ut in eo ab-

eo absque nauséâ & tædio penitus acquiescat.

Atqvi Summum bonum, & ea, quæ indè veluti ex fonte & scaturigine limpidissimâ amœnissimâq; provenit Beatitas & lætitia, ejusmodi sit, hæctenus ostendimus, necesse est: quæ non modò nullo fuce decipiat, nullâ imperfectionis labe notata sit, nullâ ægritudine & tristitiâ interpoletur, nulli que interitioni sit obnoxia: Sed etiam ejusmodi, ut animum hominis ita exaturare possit, in ea prorsus ut acquiescat, & ita acquiescat ut ea satietur, ne amplius quicquàm desideret.

Cujusmodi Summum bonum, Beatitudinem & lætitiâ, universa hujus seculi bona non conferre, licet nihil magis primo intuitu polliceantur; hæctenus satis superque nos demonstrasse confidimus.



*Benigno & candido Lectori.*

**N**on defuturos esse scio, lector candide, qui hunc nostrum laborem lividis oculis sint inspecturi, & manibus parum modestis tractaturi. Fateor quidem non malè sentire, qui aut nihil hodiè edendum censent, aut ejusmodi, quod omnibus modis sit elaboratum, omniumque expectationi satisfaciat. Atqui hoc modo rarenter aliquid in lucem prodibit. Quis enim tam circumspectus aut lynceus fuerit, qui in publico ædificans, non habiturus sit suum Aristarchum, & lividi dentis scommata possit evitare. Ad doctos quod attinet, fateor, non hæc prodire ex tripode ita elaborata, ut illi non sint plurimum hîc desideraturi: neq; ita concinnata, ut inopi in mensâ nostrâ non pateat accubitus. Agnosco lubens ingenij imbecillitatem mei, nec plura do alijs, quàm mihi almi spiritus gratia contulit: & tamen non omnia tam infeliciter, & ex inanibus paleis; ut non sit, quod saturo etiam convivæ colluere dentes possit. Tu benigne lector his fruire, donec *ἔυδαιμονίασ* vitæq; beatæ, veram demus, Deo juvante, descriptionem. Nam his viam sternere ad illam, & impedimenta omnia remove conati sumus. si vero quæ mendæ nobis vel invitis irrepserè, uti in nostro morbo, commissâ alteri corrigendi curâ, factum esse non inficias imus, tu pro tuo cådore & humanitate has & reliquas sic corripes & Vale.

ERRATA.

C. 1. b. marcescant. 2. a. Præbibebant. 4. a. exiccandis, H. 1. b. Cimbrorumq; L. 1. a. interneccionem M. 1. b. Sidonij. 3. a. Crocodilo N. 2. a. Tiberius. P. 2. Catenis nihilo minus 3. a. CRATES. Q. 1. a. Erinnys. 2. b. ANTIGONVS. 3. b. machinentur. S. 2. a. MIDAS. T. 1. b. fecerat. V. 4. b. incitas. X. 1. b. ergastulo. Aa. 3. b. id. Bb: 1. a. conati. Dd. 3. b. Agathocles. Ff. 2. b. confidero. 4. b. congressi fratres. Hh. 1. b. quot Kk. 4. 2. Nimroth.

Spiegel der Welt, und aller ihrer freud und Ferklichkeit.  
Das Erste Capittel von mancherley in der welt gütern und ihren  
nutzen

Das ander Capittel: Ob das Summum bonum oder höchsten gut,  
wahrer vollkommener und beständiger freude in bonis corporis in  
des irdischen gütern anzutreffen.

Das 3te Capittel Ob das höchste gut und ein seliges Leben, auch wahrer  
vollkommener und beständiger freude in glück anzutreffen.

Das 4te Capittel Ob auch wahrer vollkommener und beständiger freude  
und seliges ruhsames Leben, bey großen gütern und Reichthum zu  
finden?

Das 5te Capittel Ob großer offe und Ferklichkeit, ein seliges ruhsam Leben  
und wahrer vollkommener und beständiger freude bringet?

Das 6te Capittel Ob zierliche und prächtige Leiden etwas helfen mögen,  
zu einem seligen ruhsamen Leben und zu wahrer vollkommener und  
beständiger freude

Das 7te Capittel Ob stürck gefalt, wahrer, vollkommener beständiger freude  
und seliges Leben bringet?

Das 8te Capittel Ob lustige und prächtige Gebäude, wahrer vollkommener  
und beständiger freude, und also ein seliges Leben bringen?

Das 9te Von dem Adel und Ritter schaft.

Das 10te Von großen Herren Ehre.

Das 11te Capittel Ob das Summum bonum in Königreichen und  
bey großen Herren schaft anzutreffen?

Das 12te Capittel von gütern des Gemüths.

### Register.

Das Farenswad der Wagen so auf sein Gemüth Cargo  
im Leben steht.  
ist in diesem gestörten Gemüth angedruckt.

Welt-Biegel Meniglichem zu diesen letzten Zeiten für die  
Augen gestellt, und aus heiliger Göttlicher Schrift, und  
allen Welt, fürnehmsten, nützlichsten und lieblichsten Historien,  
Beschrieben durch M. Georgium Gieglertum. Bedruckt in der  
Königlichen See-Stadt Lissa in Siefflandt bey Nicolas Mallin.  
M. D. XCIX. dem Christlichen Esen.

Nachdem ich mirum Sie bedacht ausgegangen dieses Buch  
de Incertitudine rerum humanarum Jahr also (wie vor Augen)  
wordruckt sollen: Doltu libro Esen dieß muß außsprechen,  
daß dieß Buch nicht und die Ordnung dieses Capitels gründet,  
danne solches nicht ohne Ursache geschosen

die dritte Edition ist  
dem selbigen und Wesegebornen Herrn, Herrn Georgen Farenstade,  
Wendiggen Weywoden, und der von Solon, und Großfürsten  
Humberttischen Senatoren. Königl. Majeste in Solon und Tschesden  
General Kriegs Obersten in Siefflandt, Hofrath zu Carlsruhe  
auf Carlsruhe und Lingen Königl. Marschen und Jägermann pp.  
Dedicirt,

fruchen folgt:  
Das Buch des selbigen Herrn, Georg Farenstade, Wendiggen  
Weywoden, etc. in gebundenen Buche kürzlich beschriben von  
dem Esen, Altbaren und Wesegebornen Herrn Daniel  
Hermann. Königl. Secretario A. 1594.

Difensio brevis Theologicus, Ethicus, Historicus ostendens,  
quid Gloria et Honoris faciant ad vitam beatam. M. Georgii  
Giegleri. Lissa in officina Typographica Nicolai Mallini.  
Anno M. D. C. VII.



